SUMMA SYNTAXICA

CUM THEMATIS

AD EXERCENDUM.

AUCTORE

MARIO LAPLANA,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCIV.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI ET MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

SUMMA SYNTAXICA

CUM THEMATIS

AD EXERCENDUM.

AUCTORE

MARIO LAPLANA,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

PARS PRIMA:

SUMMA SYNTAXICA.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCIV.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI ET MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

PA2285
L2

JOANNES GRANERO,

Praepositus Provinciae Toletanae Societatis Jesu.

QUUM opus, cui titulus: «Summa syntaxica cum thematis ad exercendum» a P. Mario Laplana, nostrae Societatis sacerdote, conscriptum aliquot patres, quibus id commisimus, recognoverint et in lucem edi posse censuerint, facultatem damus, ut typis mandetur. In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo nostro munitas dedimus.

Matriti, mense Aprili, anno 1894.

(L. S.) ***Joannes Granero*** *S. J.*

129651

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

A. R. P. LUDOVICO MARTIN,

Praeposito Generali Societatis Jesu.

TAMETSI hunc librum, quia versatur in re valde tenui, intelligo esse indignum, qui Tuae Paternitati dedicetur, tamen, quem summo labore et fortasse non inutili elucubravi, offerre non dubito Patri optimo et de his studiis bene merito.

Accipe igitur benigne hoc qualecumque munus, quo videlicet memoriam revocare libet temporum illorum, quum mihi in exsilio adolescenti Tua consuetudine frui licuit, tuoque exemplo ad virtutem et litteras grassari.

M. Laplana.

Prologus.

SI meus hic labor ad tuas manus pervenerit, benigne lector, quaeres, opinor: quid istuc libri sit, quorsum haec scribantur, quibus praesidiis et cui usui. Recte tu quidem quaesiveris, debeoque tibi satisfacere.

1. Quod sit nostrum propositum.

Nihil est auditoribus grammaticae ad dictionem formandam accommodatius, quam ut praecepta syntaxica multum exercendo in usum deducant et auctorum elegantias diu imitando faciant suas. Quod ut assequantur, necesse est scribendi argumenta magistrum talia dictare, «quae ad praecepta syntaxeos et auctorum imitationem referantur» [1].

Sed quum fieri facillime possit, ut magister, sive egens tempore sive laborem fugiens, themata negligat et argumenta scribendi parum idonea dictet; ei incommodo mederi posse videtur hoc opusculum, in quo et themata affero secundum praecepta syntaxica et praecepta ipsa subjicio, quibuscum themata conferantur, et selectos auctorum locos exhibeo ad studium componendi accommodatos.

Et haec quidem ratio formandae dictionis neminem arbitror esse magistrum grammaticae, cui non vehementer pro-

[1] Ratio stud. Soc. Jesu. Reg. 6. Profess. suprem. gramm.

betur. Compositio enim Latina, sicut ceterae artes, magis constat exercitio quam doctrina praeceptorum. Nam ut ii, qui picturae aut musicae dant operam, utilius tractant penicillum aut inflant tibiam, quam de pingendi canendive artificio audiunt, sic etiam candidatus Latinae compositionis commodius sumit calamum, quam docetur componendi regulas.

Sed ne hae quidem negligendae sunt; nam, ut manca praeceptio est, quae veterum exemplis non firmatur, sic caeca sit necesse est exemplorum via, quae non illustratur praeceptorum face.

2. Quae fuerint partes meae in conficiendo hoc libro.

Hunc librum ut scriberem, innumeras auctoritates diu legendo congessi ex classicis scriptoribus; plurimas etiam ab aliis congestas mutuatus sum, maxime ex Forcellino, Sanctio, Alvaro, Valla, Despauterio, Perizonio, Handio, Guardia et Wierceyskio.

Praecepta facio plura, quam sueverunt vulgo; sed omitto de constructionum causis disputare scriboque omnia nude et quam possum brevissime. Quod siquid, prae nostra brevitate, videbitur mancum aut intellectu difficile, id, inspectis exemplis, quae subjicio, auditoque magistro, commodius percipient discipuli, quam si plura a me scriberentur.

Ut vero themata concinnarem, selegi ex classicis scriptoribus plurima argumenta, ubi esset magna varietas rerum et sententiarum. Utque ea tironum exercitio accommodarem, sustuli omnem stili difficultatem: mollivi hyperbati duritiem, complanavi salebras, dedi obscuris lucem, praecidi redundantia, ut possent tirones inoffensa via currere omnemque operam ad solam linguae proprietatem conferre. Nempe ut nutrices

cibum prius mandunt molliuntque, quam infantibus in os inserant, sic ego auctorum argumenta prius liquefacio, quam tironibus trado ad exercendum.

At siquis me objurgandum censeat, quod auctores tangere ausus sum, fatebor equidem intactos me quondam dictasse auditoribus meis; sed meus in vertendo labor quum asperior opinione tum proposito impar repertus est: non enim valebat tiro dictionem suam ad auctorum normam effingere neque conferre postmodum cum exemplari, propterea quod classicae orationis contextus intricatior saepe est, quam ut tiro assequi possit. Atque illud pejus, quod operam, quam impendere discipuli debuerant ad proprietatem linguae, insumere cogebantur non sine taedio et temporis jactura ad inquirendum de sensu et compagine sententiarum.

Quodsi meus labor detrimentum aliquod intulisse videbitur auctorum elegantiae, id postmodum legendis auctoribus redimetur.

3. Quomodo hoc opusculo utendum sit.

Ratio autem utendi opusculo meo haec esse debebit. Tres libri (nam in tres libros dispertivi omnia) simul tradentur: primus mane praelegetur, alter vespere; tertius dictabitur quotidie ad componendum conversus in vernaculum.

Exempla auctorum, quae praeceptis terna plerumque subjicio, tam diu ntiroes versabunt, quoad penitus intellexerint, et, si fieri possit, memoriae mandaverint. Nec contenti memoriae mandavisse nitentur in usum deducere, diu multumque imitando. Quod ut assequantur, indigent professoris magisterio, qui et praecepta, quae a me presse data sunt, pluribus verbis exponat et thema idoneum vertat quotidie in vernaculum dictetque ad componendum.

Ineuntibus hoc studium non sunt tradenda omnia, sed praecipua tantum. Dein, quum reveniatur ad repetenda, quae cognita sunt, adjicientur aliqua nova.

Componere incipientibus dictanda non est perpetua oratio, sed singulae tantum sententiae [1], quas quum formare ad unguem didicerint, licebit gradum faciant ad themata secundi deincepsque tertii ordinis, ubi proponitur ad exercendum perpetua oratio.

Operam tirones dabunt, ut dictatum scribendi argumentum plane intelligant idque omnino reddant Latino sermoni, quod vernaculo dictatum est.

Denique, ubi castigandae gratia scriptionis legetur a magistro classicum exemplar, observent diligenter, quemadmodum dicta sint ab auctore Latino ea, quae ipsi dicere emendate non potuerunt, et ex eo scriptionem suam castigandam curabunt.

Admonitio.

Ut delectus rerum facile institui possit, distinguuntur asterisco * ea, quae sunt maxime necessaria; cruce †, quae sunt valde utilia. Cetera in eorum gratiam afferuntur, qui syntaxim cupiunt penitius cognoscere.

---

[1] Abunde invenies in libri tertii capite primo.

INDEX SUMMAE SYNTAXICAE.

LIBER PRIMUS.

CONSTRUCTIO PARTIUM ORATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

De concordantiis.

Pag.

I. Concordantia nominis substantivi 1
II. Concordantia nominis adjectivi 2
III. Concordantia pronominis relativi 5
IV. Concordantia verbi 8

CAPUT SECUNDUM.

De constructione.

I. Constructio nominis substantivi 11
II. Constructio nominis adjectivi 14
1. Adjectiva cum genitivo 14
2. Partitiva et numeralia 15
3. Adjectiva cum dativo 16
4. Adjectiva cum ablativo 18
5. Adjectiva comparativa 19
6. Adjectiva superlativa 22
III. Constructio pronominis 22
1. Pronomen cum casu 22
2. Pronomen reciprocum 26
3. Reciprocum personale 27
4. Reciprocum possessivum 29
5. Amphibolia in reciproco possessivo 30
6. Amphibolia in reciproco personali 32

Pag.
IV. Constructio verbi 33
1. Verbum substantivum 33
2. Verba cum genitivo 34
3. Verba cum dativo 37
4. Verba cum altero accusativo 40
5. Verba cum ablativo 42
6. Verba cum ablativo et praepositione 44
V. Constructio participii 46
VI. Constructio gerundii 47
VII. Constructio supini 51
VIII. Constructio ceterorum verbalium 52
IX. Constructio adverbii 53
1. Adverbia generatim 53
2. Adverbia singulatim 55
X. Constructio praepositionis 61
XI. Constructio conjunctionis 76
XII. Constructio interjectionis 84

CAPUT TERTIUM.
De affectionibus partium orationis.

I. Casus 84
1. Nominativus 85
2. Genitivus 86
3. Dativus 88
4. Accusativus 89
5. Vocativus 91
6. Ablativus 92
II. Voces verbi 93
1. Vox activa 93
2. Vox passiva 95
III. Modi verbi 97
1. Modus indicativus 97
2. Modus subjunctivus 98
3. Modus imperativus 99
4. Modus infinitivus 101
IV. Tempora verbi 103

CAPUT QUARTUM.
De quibusdam relationibus.

I. Relatio loci 105
1. Locus *ubi* 105
2. Locus *unde* 107

Pag.
3. Locus *quo* 108
4. Locus *qua* 109
5. Locus *quorsum* 110
II. Relatio temporis 110
1. Tempus *quando* 110
2. Tempus *quamdiu* 111
3. Tempus *quam dudum* 111
4. Tempus *intra quod* 112
III. Relatio spatii 112

LIBER SECUNDUS.
ORATIONIS FORMATIO.

CAPUT PRIMUM.
De oratione ejusque elementis . . 114

CAPUT SECUNDUM.
De oratione simplici.

I. Oratio verbi substantivi 115
II. Oratio verbi adjectivi 116

CAPUT TERTIUM.
De oratione pronominis relativi.

I. Constructio relativi 118
II. Contractio in participium 121

CAPUT QUARTUM.
De oratione infinita.

I. Infinitum generatim 123
II. Infinitum singulatim 126
III. Attractio et rejectio infiniti 131

CAPUT QUINTUM.
De oratione subjunctiva.

I. Verba intellectus, linguae et sensus 133
II. Verba dubitativa 134
III. Verba voluntativa et hortativa 136
IV. Verba eventus et convenientiae 138

Pag.
V. Verba affectiva 140
VI. Verba timoris 141
VII. Verba prohibitiva 142

CAPUT SEXTUM.

De ceteris orationis modis.

I. Modus finalis 143
1. Finalis per particulas 143
2. Finalis per participium 145
3. Finalis per gerundium 146
4. Finalis per supinum 147
5. Finalis per infinitum 147
II. Modus causalis 147
1. Causalis per particulas 147
2. Causalis per participium 149
III. Modus conditionalis 150
IV. Modus temporalis 153
1. Temporalis per particulas 153
2. Temporalis per participium 155
3. Temporalis per gerundium 158
V. Modus correlativus 159

Appendices.

Appendix ad n. 84 et 86 162
Appendix ad n. 98 168
Appendix ad n. 130 168
Appendix ad n. 212 169
Appendix ad n. 222 et sqq. 171
Appendix ad n. 249 172
Appendix ad n. 301 172
Appendix ad n. 326 173
Appendix ad n. 330 174
Appendix ad n. 331 174
Appendix ad n. 336 175
Appendix ad n. 347 175

Liber Primus.

CONSTRUCTIO PARTIUM ORATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

DE CONCORDANTIIS.

I. Concordantia nominis substantivi. — II. Concordantia nominis adjectivi. — III. Concordantia pronominis relativi. — IV. Concordantia verbi.

I. Concordantia nominis substantivi.

* 1. *Substantiva concordant casu (a), licet discordent numero (b) et genere (c):*

a.

Cic. Apud *Herodotum, patrem* historiae, sunt innumerae fabulae.

Cic. Legimus epistolas *Corneliae, matris* Gracchorum.

b.

Liv. Pergo ad delendam *urbem Vejos.*

Virg. Coridon ardebat *Alexin, delicias* domini.

c.

Cic. Quid dicam de *thesauro* omnium rerum, *memoria?*

Liv. *Virgines* Vestae legit, Alba oriundum *sacerdotium.*

2. Tamen, si alterum substantivum habeat utriusque generis formam, eligitur commoda:

CIC. Iste *homo,* acerrimus bonorum *expulsor,* annum et sex menses nihil petit.

CIC. O vitae dux, *expultrix* vitiorum, *philosophia.*

MART. Terrarum *dominum* pone *supercilium.*

CIC. *Voluptates,* blandissimae *dominae,* animum a virtute detorquent.

† *3. Observa illa:*

CIC. Archias se ad scribendum contulit *Antiochiae,* celebri quondam *urbe.*

CIC. Milites *Albae* constiterant, in *urbe* opportuna.

4. Observa iterum illa, ubi alterum substantivum est genitivi instar:

LIV. Cetera *multitudo, decimus quisque* ad supplicium lecti [1].

SALL. *Capti* ab Jugurtha, *pars* in crucem acti, *pars* bestiis objecti sunt.

II. Concordantia nominis adjectivi.

⁂ *5. Adjectiva* [2] *concordant substantivis* [3] *genere, numero et casu:*

VIRG. *Maximus heros* maternas agnovit aves.

PLAUT. Utinam aut *hic surdus* aut haec muta sit.

CURT. *Parva scintilla* magnum excitavit incendium.

† *6. Adjectiva copulatis concordant plurali numero (a) vel singulari (b):*

a.

CIC. Ei sunt *adjunctae pietas,* bonitas, liberalitas.

---

[1] Quasi: *ceterae multitudinis* decimus quisque . . .

[2] Et quaecumque adjectivorum ritu adhaerescunt substantivis.

[3] Aut agentibus vicem substantivorum.

LIV. Hippocrates *et* Epicydes *nati* sunt Carthagine.
CIC. In decemviris *neque* ego *neque* Caesar *habiti.*

b.

CIC. Lex Aelia *et* Fusia *eversa* est.
LIV. Pax venia*que* ab diis *impetrata.*
SUET. Jus arbitrium*que* illi *permissum.*

7. Si per **cum** *substantiva jungantur, adjectivum plurali numero (a) vel singulari concordat (b):*

a.

OV. Ilia *cum* Lauso de Numitore *sati.*
JUST. Filium Alexandri *cum* matre *custodiendos* mittit.
OV. Sors eadem *Ismarios* Hebrum *cum* Strymone siccat [1].

b.

CIC. *Occisus* est *cum* liberis M. Fulvius consularis.
CIC. Domitius *cum* Messala *certus* esse videbatur.

8. Si copulata fuerint varii generis, adjectivum concordat propiori (a) aut nobiliori (b) [2] *aut ponitur neutro genere (c)* [3]*:*

a.

LIV. Senatus consultum litterae*que* in Etruriam *missae.*
CIC. *Plenum* forum *et* basilicas istorum hominum videmus.
LIV. Patres decrevere legatos sortes*que* oraculi Pythici *exspectandas* esse.

b.

TER. Jam pridem pater mihi *et* mater *mortui* sunt.
LIV. Decem *ingenui,* decem *virgines, patrimi* omnes.

---

[1] H. e.: Hebrum et Strymonem Ismarios.
[2] Neutrum nobilius habetur prae muliebri.
[3] In rebus, non personis.

VARRO. Cererem *et* Liberum invoco, quod *horum* fructus maxime necessarii sunt.

c.

LIV. Phormiis nuntiatum est portam murum*que* de coelo *tacta.*

CIC. Moderati habitus affectiones*que apta* sunt ad naturam.

LIV. Naturâ *inimica* sunt libera civitas *et* rex.

9. Etiamsi res copulatae sint ejusdem generis, licet dari neutrum:

SALL. Ni virtus fides*que* vestra *spectata* mihi forent.

CIC. Stultitia *et* temeritas *et* intemperantia sunt *fugienda.*

† *10. Collectivis dare licet adjectivum plurale:*

VIRG. Titania *pubes* fulmine *dejecti.*

LIV. Fit concursus *populi mirantium,* quid rei esset.

LIV. Propalam in foro ingens *turba circumfusi* fremebant.

11. Observa in distributione concordantiam:

LIV. *Cornua dextrum* ad castra, *laevum* ad urbem tendit.

SUET. Duobus *Sextis, Pompeio* et *Appuleio,* consulibus.

12. Superlativa (a, b) et numeralia (c, d) concordant ut cetera adjectiva (a, c) vel petunt genus a regimine (b, d):

a.

CIC. *Indus,* omnium fluminum *maximus.*

PLIN. *Hordeum,* frugum omnium *mollissimum.*

b.

PLIN. *Velocissimum animalium* est delphinus.

PLIN. Venenis coturnices pinguescunt, *placidissima animalium.*

c.

CIC. Decem *millia* talentûm Gabinio ait esse *promissa.*

LIV. *Caesa* ad viginti *millia* hominum.

d.

CURT. Duo millia *Tyriorum* crucibus *affixi.*

LIV. Septem millia *hominum* in naves *impositi.*

13. Adjectivum suppositi (a) attrahitur aliquando ad praedicatum (b), maxime in pronominibus (c):

a.

JUST. *Semiramis credita* est puer.

b.

CIC. Non omnis *error* stultitia *dicenda* est.

TER. *Paupertas* onus mihi *visum* est.

LIV. Et *ludi* fuerunt Megalesia *appellata.*

c.

CIC. Hominis summum *bonum* quaeremus; *is* autem esset nihil nisi animus.

VIRG. Sed *revocare* gradum, *hoc* opus, *hic* labor est.

SALL. In fuga salutem *sperare, ea* vero dementia est.

14. Sunt, quae concordant graeco more:

OV. *Turpe* senex *miles,* turpe senilis amor.

CIC. *Turpitudo pejus* quam dolor.

VIRG. *Varium* et mutabile semper *femina.*

15. Quaedam concordant subaudito:

CIC. Actioni *primas* dedisse Demosthenes dicitur.

CELS. Ne ex hac quidem causa sudanti *frigida* bibenda est.

PLAUT. Venio ad macellum: rogito pisces; indicant caros, *agninam* caram, caram *bubulam* et *vitulinam.*

III. Concordantia pronominis relativi.

* *16. Nomen, quod praeit relativo, appellatur antecedens (a); quod subit, consequens (b):*

a.

CIC. Exstat *oratio* C. Gracchi, qua in oratione multa in Pisonem dicuntur.

b.

Cic. Exstat oratio C. Gracchi, qua in *oratione* multa in Pisonem dicuntur [1].

17. Relativo, si ponitur adjective, non est antecedens:

Plaut. *Quas* tu mihi tabulas, *quos* luscos libertos somnias?
Phaedr. O *qui* tuarum, corve, pennarum est nitor!
Cic. *Quae* celebritas oppidorum, *qui* agri, *quae* fruges!

* *18. Relativum concordat antecedenti genere et numero (a), consequenti etiam casu (b):*

a.

Cic. Recordare de *ceteris, quos* adesse vides.
Nep. Suam *existimationem* agi putabat, *qua* nihil habebat carius.
Cic. *Id* maxime quemque decet, *quod* est cujusque maxime suum.

b.

Cic. *Quam domum* nemo sine lacrymis praeterire poterat, hac te in domo diversari non pudet?
Quint. Timeo ne, *quos* porrexerim *cibos*, venena fiant.
Cic. *Quibus* de *rebus* ad me scripsisti, coram videbimus.

19. Relativum concōrdat personae antecedentis:

Ter. Hoc *mea* non refert, qui *sum* natu major.
Cic. Oh *te* ferreum, qui illius periculo non *movearis!*
Cic. *Me* caecum, qui haec non *viderim!*

20. Relativum ad varia pertinens concordat generi nobiliori (a), vel ponitur in neutro (b):

[1] Quae, ut vides, sunt unum idemque.

a.

CIC. Propter summam et *doctoris* auctoritatem et *urbis, quorum* alter te scientia augere potest, altera exemplis.

b.

LIV. *Naves captivosque, quae* ad Chium capta sunt, restitui postulabat.

CIC. Repetebant *deos* penates, *aras, focos,* in *quae* tu invaseras [1].

† *21. Si intersit relativum inter duo nomina, quorum alterum praedicetur de priore, potest alteri (a) vel priori concordare (b):*

a.

LIV. Quinctius trans Tiberim colebat *agrum, quae prata* Quinctia vocantur.

CAES. Venerunt *Vesuntionem, quod* est *oppidum* Sequanorum.

COLUM. Solent fastidia ciborum afferre *incrementa* linguae, *quas ranas* veterinarii vocant.

b.

VARRO. Ne vulnerentur a bestiis, imponuntur canibus *collaria, quae* vocantur *maelium.*

LIV. Herculi sacrificium fecit in *loco, quem Pyram* vocant.

OV. Parte locant *clivum, qui* tunc erat ardua *rupes.*

22. Raro attrahitur antecedens ad casum relativi (a); longe rarius attrahitur relativum ad casum antecedentis (b) [2]*:*

a.

TER. *Eunuchum, quem* dedisti mihi, quas turbas fecit!

PLAUT. *Naucratem, quem* convenire volui, non erat in navi.

VIRG. *Urbem, quam* statuo, vestra est.

---

[1] Atque haec de rebus, non de personis.

[2] Haec alii aliter explicant; sed haec est omnium verissima et facillima explicandi ratio.

b.

LUCIL. Quum scribas et agas aliquid *eorum, quorum* consuevisti, gaudeo.

LIV. Raptim, *quibus* quisque poterat, *elatis* agmen migrantium impleverat vias [1].

23. Suppresso aliquando antecedente, concordat relativum subeunti substantivo:

CIC. Si mihi permisisses rem, *qui meus amor* in te est, confecissem.

QUINT. Hoc si scisses, *cujus pietatis* es, nemo te antecessisset.

CIC. Utrum admonitus, an, *qua* iste *sagacitate* est, sine ullo duce pervenerit, nescio.

24. Relativum redditur aliquando ad subauditum:

HIRT. Caesar alteram alam mittit, *qui* satagentibus occurrerent.

CIC. Nostra, *qui* remansissemus, caede te contentum esse dicebas.

CIC. Disputationis fuit extremum de immortalitate animorum; *quae* se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat [2].

IV. Concordantia verbi.

* *25. Verba suppositis concordant numero et persona:*

VIRG. Dum *tu sectaris* apros, *ego* retia *servo.*

CIC. *Nihil est* liberale, quod non idem justum.

CIC. *Erant* in Torquato plurimae *litterae,* nec eae vulgares.

26. Verba suppositis copulatis concordant numero plurali (a) vel singulari (b):

---

[1] H. e.: Raptim elatis *iis, quae* quisque poterat (efferre).

[2] Cetera de relativo habes in n. 305 et sqq.

a.

PHAEDR. Ad rivum eundem lupus *et* agnus *venerant.*

PHAEDR. Vacca *et* capella *et* patiens ovis injuriae socii *fuere* cum leone.

CIC. *Frons, oculi, vultus* saepe *mentiuntur.*

b.

CIC. Lucus ille *et* haec Arpinatium quercus *agnoscitur.*

CIC. *Egit* pater *et* filius, ut tibi sponderemus.

CIC. Virtus *et* honestas *et* pudor cum consulibus esse *cogebat.*

27. Item personae nobiliori (a) vel propiori (b)[1]*:*

a.

CIC. *Ego* fratresque mei pro vobis arma *tulimus.*

TER. Haec si neque *ego* neque tu *fecimus*, non sivit egestas facere nos.

CIC. In decemviris neque *ego* neque Caesar habiti *essemus.*

b.

CIC. Et ego et *Cicero* meus *flagitavit.*

CIC. Vos ipsi et *senatus* frequens *restitit.*

CIC. Sextium quanti facere debeam, et tu et *omnes* homines *sciunt.*

28. Si per **cum** *personae jungantur, verbum concordat singulari numero (a) vel plurali (b):*

a.

CIC. Tu ipse *cum* Sexto quid *cogites* scire velim.

CIC. Domitius *cum* Messala certus esse *videbatur.*

b.

SALL. Bocchus *cum* peditibus, quos filius ejus adduxerat, postremam aciem *invadunt.*

---

[1] Nobilior est prima prae secunda et haec prae tertia.

Cic. Caesar *cum* Scipione leges *contulerunt.*
Liv. Dux *cum* aliquot principibus *capiuntur.*

† 29. *Collectivis (a, b) et partitivis (c, d) concordant verba plurali numero (a, c) vel singulari (b, d):*

a.

Ov. Thura *ferant placentque* novum pia *turba* Quirinum.
Plaut. Magna *pars* morem hunc *induxerunt.*
Liv. Magna *multitudo* perditorum hominum *convenerunt.*

b.

Virg. *Pars* densa ferarum tecta *rapit* sylvas.
Cic. *Multitudo contulit* se ad eam disciplinam.
Cic. Illo die *gens* ista Clodiana, quod facere *voluit, effecit.*

c.

Sall. *Alius* alio more viventes incredibile est quam facile *coaluerint.*
Ter. *Aperite aliquis* actutum ostium.
Curt. Sibi *quisque habeant,* quod suum est.

d.

Suet. Damnati omnes *alius* alio casu *periit.*
Cic. Suam *quisque* videri *vult* afferre sententiam.

30. *In distributione datur pluralis numerus (a) vel singularis (b):*

a.

Liv. Palatium *Romulus, Remus* Aventinum *capiunt.*
Liv. Ita duo deinceps reges, *ille* bello, *hic* pace civitatem *auxerunt.*

b.

Caes. Gallos ab Aquitanis *Garumna* flumen, a Belgis *Sequana dividit.*
Liv. Duo ordinarii consules, *alter* morbo, *alter* ferro *periisset.*

31. Saepe verbum subauditur e proximo:

Cic. Haec si ego dixero, incredibilia videbuntur; si vos, facile fidem invenerint.

Cic. L. Luculli virtutem quis? At quam multi villarum magnificentiam imitati sunt!

Cic. Olim cum regnare existimabamur; non tam ab ullis quam hoc tempore observor a familiarissimis Caesaris.

*32. **Sum** attrahitur aliquando ad praedicatum:*

Cic. Tui consulatus *fuit* initium ludi Compitalitii.
Sen. Magnae divitiae *sunt* composita paupertas.
Ov. Quas geritis vestes, sordida lana *fuit.*

CAPUT SECUNDUM.

DE CONSTRUCTIONE.

I. Constructio nominis substantivi. — II. Constructio nominis adjectivi. — III. Constructio pronominis. — IV. Constructio verbi. — V. Constructio participii. — VI. Constructio gerundii. — VII. Constructio supini. — VIII. Constructio ceterorum verbalium. — IX. Constructio adverbii. — X. Constructio praepositionis. — XI. Constructio conjunctionis. — XII. Constructio interjectionis.

I. Constructio nominis substantivi.

* *33. Substantivum nomen fert genitivum (a) et ablativum (b), cui praepositio (c) saepe adjungitur*[1]*:*

a.

Cic. Somnus est imago *mortis.*

Tac. Maluit patrati quam incepti *facinoris* reus esse.

Phaedr. Quum cepissent cervum vasti *corporis*, sic est loquutus leo.

---

[1] Plura de genitivo et ablativo habes in n. 224 et sqq. et in n. 244 et sqq.

b.

PLAUT. Tun' *capite* cano amas, homo nequissime?

CIC. Aristoteles, vir summo *ingenio,* docere coepit.

NEP. Datames Thuin, hominem vasti corporis terribilique *facie,* veste texit.

c.

VIRG. Te memorande canemus, pastor *ab Amphryso.*

QUINT. Cynicum apud censores reum *de moribus* facit.

CIC. Athenienses ad senatum legatos *de* suis *rebus* mittunt.

34. Substantivum regens suppletur saepe e proximo:

CIC. Sexto idus duas epistolas accepi: unam a meo tabellario, alteram a Bruti.

PLIN. Prolibare diis vina nefastum habetur, praeter imputatae vitis, fulmine tactae.

COLUM. Latitudinis pedes cum longitudinis sic multiplicabis.

* *35. More substantivorum postulant genitivum adjectiva, quae substantive ponuntur, sive illa ponantur neutro genere singulari (a) sive neutro plurali (b) sive masculo plurali (c):*

a.

CIC. *Plurimum* in scribendo *laboris* haberet.

CIC. *Tantum vini* in Hippiae nuptiis exhauseras.

POMP. MELA. Satarchae ob *saevum hiemis* specus habitant totum bracati corpus.

b.

LIV. Oppidani Astapae locum in foro destinant, quo *pretiosissima rerum* suarum congererent.

CIC. In *interiora aedium* penetravit.

CAES. In occultis ac *reconditis templi.*

c.

LIV. Scipio Massinissam cum *expeditis* militum ad persequendum Syphacem mittit.

VELL. *Veteres* ducum Romanorum sunt.
LIV. Fidenatium *qui* supersunt, ad urbem Fidenas tendunt.

36. Observa illa:

Ardua *montium.* — Lubrica *vallium.* — Roscida *cespitum.* — *Aquarum* profunda. — Immensa *camporum* [1].

* *37.* ***Opus*** *et* ***usus*** *regunt ablativum (a) nec non genitivum (b), nisi fiunt praedicata (c):*

a.

CIC. *Praesidio* firmiori ad eam provinciam opus est.
PLAUT. Quando multos habeo cognatos, quid opus mihi est *liberis?*
VIRG. Nunc *animis* opus, Aenea, nunc *viribus* usus.

b.

LIV. Ad consilium pensandum *temporis* opus est.
OV. Lunaque fulgebat, nec *facis* usus erat.
LIV. Quanti *argenti* opus fuit et sex mensium frumentum accepit.

c.

CIC. Dux nobis et auctor opus est.
NEP. Themistocles celeriter ea, quae opus erant, reperiebat.
PLAUT. Tua opera mihi est usus.

† *38.* ***Opus*** *et* ***usus*** *junguntur etiam verbo (a), maxime participio (b):*

a.

CIC. Legem curiatam *ferre* opus est consuli.
TER. Opus est adjutorem mihi *dari.*
PLAUT. Nunc tibi opus est, ut aegram te *assimiles.*

---

[1] Pro: *Ardui montes, lubricae valles* etc., quae sunt frequentia apud historicos.

b.

SALL. Ubi consulueris, mature *facto* opus est.

PLAUT. Ego ibo domum, ut parentur, quibus *paratis* opus est.

TER. In arcem *transcurso* opus est.

PLAUT. Citius fit, quod *facto* non est usus, quam quod *facto* est opus.

II. Constructio nominis adjectivi.

1. Adjectiva cum genitivo. — 2. Partitiva et numeralia. — 3. Adjectiva cum dativo. — 4. Adjectiva cum ablativo. — 5. Adjectiva comparativa. — 6. Adjectiva superlativa.

NOTA. Adjectivorum differentiae et constructiones sunt innumerae; ego praecipuas summatim perstringam; ceteras in lexicis quaerito.

1. Adjectiva cum genitivo.

* *39. Genitivo gaudent adjectiva scientiae (a), participationis (b) et abundantiae (c):*

a.

CIC. Faciam te *consilii* nostri certiorem.

HOR. Indoctus *pilae discive* quiescit.

LIV. Exercitus *locorum* prudens.

b.

TAC. Collega imperii, consors tribuniciae *potestatis.*

CIC. Tu es *mentis* compos? tu non constringendus?

TAC. Retinet sub vexillo *ceterorum* immunes, nisi *propulsandi hostis.*

c.

VIRG. Quam dives *pecoris*, nivei quam *lactis* abundans.

LIV. *Omnium* egeni corpora humi prostraverunt.

LIV. Fertilis *hominum frugumque* Gallia.

40. Aliqua hujus ordinis expertia sunt genitivi:

CIC. Homo artium *studiis eruditus.*
CIC. *Doctrina* liberaliter *institutus.*
CIC. An tu *dialecticis* ne *imbutus* es quidem?

41. Sunt adjectiva, quae apud poëtas solum et historicos genitivum sortiantur:

Floridus *aevi.* — Validus *animi.* — Devius *aequi.* — Integer *vitae.* — Praeceps *animi.* — Ambiguus *consilii.* — Purus *sceleris* [1].

2. Partitiva et numeralia.

* *42. Partitivis datur genitivus (a), item numeralibus, sive cardinalia sint (b) sive ordinalia (c) sive distributiva (d), nisi ponuntur adjective (e):*

a.

CIC. Elephanto *belluarum* nulla prudentior.
CIC. Multae *istarum arborum* mea manu sunt satae.

b.

CIC. *Hominum* mille versabatur valentium.
TAC. Tiberius quinque *consularium* e cetero senatu sorte duxit.

c.

LIV. Qui primus *vestrum* osculum matri tulerit, regnabit.
CIC. Roma condita est anno secundo *Olympiadis* septimae.

d.

LIV. Mox compertum est nongentos *Romanorum* confectos.
CURT. Nolo singulos *vestrum* excitare.

e.

LIV. Philippei nummi aurei *quatuordecim millia quingenti.*

---

[1] Plura adjectiva cum genitivo habes in verbalibus n. 139.

Cic. Describebat censores binos in *singulas* civitates.

Cic. In hac triremi *multi* remiges deerant.

† *43. Haec etiam ablativum cum* **ex** *vel* **de** *pro genitivo admittunt:*

Tac. Tiberius quinque *e praetoriis* sorte duxit.

Cic. Mitte ad nos *de tuis* aliquem tabellarium.

Cic. Se gladio percussum esse ab uno *de illis*, ne indicaret.

44. Mutantur aliquando cardinalia distributivis (a), praesertim in nominibus, quae carent singulari (b):

a.

Cic. Pueri annorum *senum denum* senatorium nomen nundinati sunt.

Cic. In Sicilia sextertiis *binis* tritici modius erat.

Cic. *Binos* scyphos habebam, jubeo promi utrosque.

b.

Cic. Pompejus inter *bina* castra collocatus est.

Cic. Credo te *binas* litteras meas accepisse, unas a Pindenisso, alteras a Laodicea.

45. Quaevis nomina induunt partitivorum rationem:

Cic. Homo *ex numero* disertorum.

Plin. *Piscium* lupus et trichias bis anno parit.

Flor. Virgines *e sacerdotio* Vestae.

3. Adjectiva cum dativo.

* *46. Regunt dativum adjectiva utilitatis (a), voluptatis (b), aequalitatis (c) et his similia (d) vel contraria (e):*

a.

Sall. Oppidum Capsam aliosque locos munitos et *sibi* utiles amiserat.

Cic. Hominum *generi* cultura agrorum est salutaris.

Cic. Id si *tibi* erit commodum, cures velim.

b.

CAES. Id vero *militibus* fuit gratum et jucundum.

CIC. Odor Apronii *uni isti* suavis est.

CIC. Nihil est *Deo* acceptius quam coetus hominum jure congregati.

c.

CIC. *Marcello* fratri tuo aut par aut certe proximus sum.

CIC. Pars hujus pedis est aequalis *alteri parti.*

CIC. Quid simile habet epistola aut *judicio* aut *concioni?*

d.

NEP. Miltiades amicior erat omnium *libertati* quam suae dominationi.

SEN. *Cunctis* esto benignus, *nulli* blandus.

SUET. Germanorum cohortem remisit in patriam quasi *Cn. Dolabellae* proniorem.

e.

CIC. Veniebatis in provinciam, unam ex omnibus *huic victoriae* maxime infestam.

HOR. Dispar atque discolor matrona *puellae.*

CAT. Otium, Catulle, *tibi* molestum est.

† *47. Dativum mutant genitivo adjectiva aequalitatis (a); item* ***communis*** *et* ***proprius*** *(b); accusativo autem cum* ***ad*** *adjectiva proportionis (c):*

a.

CIC. *Plectri* similem linguam nostri solent dicere, *chordarum* dentes, nares cornibus.

LUC. Quem metuis, par *hujus* erat.

CIC. Conferam Drusum cum Graccho, fere *ejus* aequali.

b.

CIC. Id quidem non proprium *senectutis* est, sed commune *valetudinis.*

CIC. Commune est *liberorum populorum,* non proprium *foederatorum.*

c.

Cic. Consilium idoneum *ad hoc negotium.*
Cic. Pallium laneum aptum *ad omne* anni *tempus.*
Plin. Lapathum utile *ad medicamina.*

4. Adjectiva cum ablativo.

* *48. Immunis, fretus, dignus, contentus, inanis, Praeditus, extorris, plenus divesque potensque (a); Quaeque his accedunt (b) aut sunt contraria (c), sexto Donantur casu:*

a.

Cic. Haec scripsi ad te liberius fretus *conscientia* officii mei.
Sil. Bis *octonis* nondum rex praeditus *annis.*
Virg. Terra antiqua, potens *armis* atque *ubere* glebae.

b.

Cic. Xerxes *refertus* omnibus praemiis donisque fortunae.
Cic. Non tardus sententiis erat, sed *inops* verbis.
Sall. In agrum praeda *onustum* proficiscitur.

c.

Cic. Animus per somnum sensibus et curis *vacuus.*
Cic. L. Flaccus, vir tua legatione *indignissimus.*
Cic. Neque hoc dii *aliemum* ducunt majestate sua.

49. Horum alia jungunt praepositionem ablativo (a), alia cum genitivo mutant (b):

a.

Cic. Respublica nuda *a magistratibus.*
Sen. Mens pura *ab omni labe.*
Liv. Extorris *a solo patrio.*

b.

Cic. Referta Gallia *negotiatorum,* plena *civium* romanorum.
Liv. Inops senatus *auxilii* humani ad deos vota vertit.
Ad Cic. Suscipe curam et cogitationem dignam *tuae virtutis.*

* *50. Adjectiva ordinis (a) et diversitatis (b) regunt ablativum cum* ***ab,*** *pro quo dativum aliquando (c):*

a.

VIRG. Fortunate puer, tu nunc eris alter *ab illo.*
CIC. Quartus *ab Arcesila* fuit.
HIRT. Sacerdos ejus deae secundus *a rege* habebatur.

b.

CIC. Certa cum illo, qui *a te* totus diversus est.
CIC. *Ab indisertis* re magis quam opinione differens.
VIRG. Quantum mutatus *ab illo Hectore.*

c.

QUINT. Nihil est tam *Lysiae* diversum quam Isocrates.
CIC. Nihil tam dissimile quam Cotta *Sulpicio.*
CIC. Illa oratio *huic* dispar.

† *51. Adjectiva diversitatis (a) et ordinis (b) verbis junguntur per* ***ac, atque, quam:***

a.

CAES. *Alia* ratione est bellum gerendum *atque* antea gestum est.
PLIN. Pransus et potus *diversum* valent *quam* significant.

b.

LIV. *Tertio* die *quam* interregnum inierit.
LIV. Anno *trecentesimo altero quam* condita Roma erat.

5. Adjectiva comparativa.

* *52. Comparativo subit ablativus (a) aut* ***quam*** *cum casu conveniente (b):*

a.

PLAUT. Plus *triginta annis* natus ego sum.
CIC. Omitto illud facinus, *quo* foedius nec fieri nec cogitari quidquam potest.

MART. Hic totus volo rideat libellus et sit nequior *omnibus libellis.*

b.

PLAUT. Ego tua magnifica verba pluris non facio *quam ancillam meam,* quae latrinam lavat.

CIC. His igitur *quam physicis* potius credendum existimas?

CIC. Nemo fuit poëta, qui quemquam meliorem *quam se* arbitraretur.

53. ***Quam*** *subauditur aliquando, maxime subeunte numerali:*

LIV. Minus duo millia hominum effugerunt.

CIC. Milites romani saepe plus dimidiati mensis cibaria ferebant.

LIV. Plus quingenta jugera agri possidet.

54. Comparativum, nisi fungitur vice partitivi (a), genitivum vix admittit (b):

a.

LIV. In hanc sententiam ut discederetur, *juniores patrum* evincebant.

PLIN. *Animalium fortiora* sunt, quibus sanguis crassior est; sapientiora, quibus tenuior.

LIV. Poeni in *minorem Balearium* insulam trajecerunt.

b.

SUET. Reddendi equi gratiam fecit iis, qui *majores annorum quinque et triginta* retinere eum nollent.

PLAUT. Non ego nunc parasitus sum, sed *regum regalior* rex.

55. Comparativa gaudent ablativis ***opinione, spe, justo, solito*** *aliisque id genus:*

CIC. *Opinione* celerius venturus esse dicitur.

LIV. Id quidem *spe* omnium serius fuit.

LIV. Ea res *exspectatione* omnium tranquillior fuit.

56. Terminus comparativi saepe est alterum comparativum:

Cic. Libentius haec in illum evomere videar quam *verius.*
Liv. Triumphus dictatoris clarior quam *gratior* fuit.
Pomp. Mela. Africa longior quam *latior* est.

57. Sunt et verba comparativa:

Cic. *Praestat* Gallorum *quam* Romanorum imperia perferre.
Hor. Nullos *his mallem* ludos spectasse.
Plaut. Est ubi damnum facere *praestet quam* lucrum.

58. Ipsum verbum potest esse comparativi terminus:

Cic. Non mehercule quidquam facio libentius quam ad te *scribo.*
Cic. Majus est hoc, quam vulgo *opinantur.*

59. Et verbum cum conjunctione (a) aut adverbio (b) et casus cum praepositione (c) terminare possunt comparativum:

a.

Cic. Neque habui quidquam antiquius, quam *ut* Pansam *convenirem.*
Cic. Nihil amplius desideratur, quam *quod* in Africam non *ierim.*

b.

Cic. Crassus fuit plenior, quam *quomodo* a nobis inductus est.
Cic. Ad Ciceronem ita scripsisti, ut neque temperatius scribi potuerit neque magis, quam *quemadmodum* ego maxime vellem.

c.

Liv. Appius castra metatus est latius quam *pro* copiis.
Liv. Proelium atrocius quam *pro* numero militum editur.

6. Adjectiva superlativa.

⁂ *60. Superlativum gaudet genitivo (a) vel ablativo cum* ***ex*** *(b) vel accusativo cum* ***inter*** *(c):*

a.

Cic. Scaevolam, unum *nostrae civitatis* praestantissimum.

Macr. Servius non solum *adolescentum,* sed etiam *senum* doctissimus.

Suet. Jussit in asperrimas *insularum* avehi.

b.

Cic. Audacissimus ego *ex omnibus?*

Cic. Solon doctissimus *ex septem.*

Cic. *De tuis officiis* hoc est gratissimum.

c.

Cic. Crassus, *inter reges* opulentissimus, ad tormenta ductus est.

Sen. *Inter cetera mala* illud pessimum est.

Pomp. mela. Borysthenes, inter Scythiae amnes amoenissimus, alluit eam gentem.

61. Crescit superlativum additis ***quam, longe, multo:***

Cic. An est, mi Cicero, quod ego malim, quam te *quam* doctissimum esse?

Cic. Vir *longe* post homines natos improbissimus.

Cic. Civitas totius Siciliae *multo* locupletissima.

III. Constructio pronominis.

1. Pronomen cum casu. — 2. Pronomen reciprocum. — 3. Reciprocum personale. — 4. Reciprocum possessivum. — 5. Amphibolia in reciproco possessivo. — 6. Amphibolia in reciproco personali.

1. Pronomen cum casu.

† *62. Pronomini, quod substantive ponitur, haeret genitivus:*

Ter. *Quid turbae* est apud forum? *quid* illic *hominum* litigant?

SUET. Nunquam se publico *illud horae* sine tribunis commisit.

CIC. *Quod ornamentorum* in meis delubris fuit, id tu mihi, C. Verres, eripuisti.

63. Pronomini possessivo haeret genitivus adjectivorum (a) vel participiorum (b):

a.

LIV. *Nostro duorum* id jam eventu cernatur.

CIC. *Solius meum* peccatum corrigi non potest.

CIC. *Mea unius* interest rempublicam defendere.

b.

OV. Saepe rogabis, ut *mea defunctae* molliter ossa cubent.

HOR. *Mea* nemo scripta legit recitare *timentis.*

64. Cum genitivo **omnium** *ponitur personale (a) vel possessivum (b):*

a.

CIC. Video in me *omnium vestrum* ora atque oculos esse conversos.

CIC. Patria est parens *omnium nostrum.*

CIC. Judicio constitutum est *omnium vestrum* bona praedam esse illius victoriae.

b.

CIC. In *nostro omnium* fletu nullam lacrymam aspexistis Milonis.

LIV. Cogor *vestram omnium* vicem consolari.

65. Pro possessivis **meus, tuus** *etc. (a) vix ponuntur genitivi personalium (b), nisi persona significanda est (c) ac non ejus possessio (a):*

a.

PLAUT. Ego quidem ex *tua* manu accepi pateram.

CAES. Rhodanus provinciam *nostram* ab Helvetiis dividit.

b.

TER. Qui se in *sui* gremio positurum puerum dicebat.
PLAUT. Neque *tui* quidquam me penes invenisti.
PLAUT. *Vestrum* patri quot filii eratis?

c.

CIC. Cui proposita est conservatio *sui*, necesse est huic partes quoque *sui* caras esse.
OV. Parte tamen meliore *mei* super astra ferar.
VIRG. Magna *mei* sub terras ibit imago.

66. Substantiva ***amor, odium, memoria, desiderium*** *et quaecumque activo sensu vel passivo gaudent, haerent possessivis active (a), personalibus passive (b); a qua norma aliquando disceditur (c), maxime in ablativo* ***causa*** *(d):*

a.

CIC. Vincebatur *meo* erga te *amore*.
CIC. Grata mihi vehementer est *memoria* nostri *tua*.

b.

CIC. Aviam tuam scito *desiderio tui* mortuam esse.
CIC. Nihil contra me fecit *odio mei*, sed odio rei publicae.

c.

SALL. Qui omnes familiae nostrae ob *vestram amicitiam* infesti sunt.
TER. Lacrymis opplet os totum, ut scires *desiderio* id fieri *tuo*.

d.

CIC. Non destiti rogare *mea causa*, suadere et hortari *tua*.
PLAUT. Mirum, quin *tua* me *causa* faciat Jupiter regem, trivenefica.

† *67. Genitivi* ***nostrum, vestrum*** *dantur partitionem significantibus (a),* ***nostri, vestri*** *ceteris (b):*

a.

Cic. Neminem *vestrum* ignorare arbitror, judices.

Cic. Philosophi censent unumquemque *nostrum* mundi esse partem.

Cic. Vereor, ne cui *vestrum* ex Stoicorum disputationibus deprompta haec videatur oratio.

b.

Virg. Nec regia Juno immemor est *nostri.*

Ov. Versus amor tuus est in taedia *nostri.*

Cic. Habetis ducem memorem *vestri,* oblitum sui.

68. Pronomini **idem** *adhaeret dativus (a); pro quo saepius dicimus* **idem qui, idem ac, idem quam** *(b):*

a.

Cic. Quod non *idem illis* censuissemus.

Hor. Invitum qui servat *idem* facit *occidenti.*

Lucr. Unus Homerus sceptra potitus, *eadem aliis* sopitu' quiete est.

b.

Cic. Peripatetici *iidem* erant, *qui* academici.

Cic. Non *idem* voluptas est, *quod* indolentia.

Cic. *Idem* valere debet, *ac* si pater indicaret.

69. **Idem, ille, ipse,** *addita per pleonasmum, afferunt lucem:*

Cic. Negabis te eum, quem sacerdos absolvisset, *eundem* condemnasse?

Cic. Apollonius in Hispaniam maxime *ille* quidem suo consilio, sed etiam me auctore profectus est.

Liv. Carthaginem Novam oppugnare statuit, quum *ipsam* opulentam suis opibus, tum hostium omni bellico apparatu plenam.

70. **Is** *refertur aliquando ad personam non tertiam:*

Cic. Qui magister equitum tibi fuisse viderere, *is* per municipia cum lacerna *cucurristi.*

PLAUT. Egomet credidi homini docto rem mandare; *is* lapidi *mando* maxumo.

CIC. Atque haec omnia *is feci,* qui sodalis Dolabellae eram.

2. Pronomen reciprocum.

† *71. Reciprocatio est reversio pronominis ad suppositum (a, b). Quae dicitur* **immediata** *seu propria, quum pronomen refertur ad suppositum verbi proximi (a),* **mediata** *seu impropria, quum pronomen refertur ad remotioris verbi suppositum (b)*[1]*:*

a.

CIC. Optimates hoc *sibi* nomen arrogarunt.

SALL. Falso queritur de natura *sua* genus humanum[2].

b.

CIC. Ipse mihi persuasit, ut *se* dimitterem.

CIC. Is a vobis postulat, ut evellatis ex animo *suo* omnem suspicionem.

† *72. Quemadmodum demonstrativa natura sua demonstrant (a) et ex licentia reciprocant (b), sic reciproca natura sua reciprocant (71 a, b) et ex licentia demonstrant (c):*

a.

CIC. Ad Verrem adierunt, ut *eum* Cereris simulacrum reposcerent.

CIC. Deum agnoscis ex operibus *ejus.*

b.

CAES. Belgae verebantur, ne ad *eos* exercitus noster adduceretur.

DONAT. Virgilius voluit *ejus* ossa Neapolim transferri.

---

[1] H. e.: Ad suppositum verbi vicinae orationis.

[2] Vel sic: Nep. Alcibiades in domo *sua* facere mysteria dicebatur. — Vel sic: Nep. Darius putavit facillime se graeca lingua utentes sub *sua* retenturum potestate. Quia in ambabus sententiis commune est utrique verbo suppositum.

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

c.

CIC. Ad illum scribas te nihil recordari de *se*.

CAES. Caesar expulsos tribunos ad *suam* restituit dignitatem.

* *73. Ex adjunctis liqueat relatio necesse est, si* ***sui*** *et* ***suus*** *ad terminum referantur*[1] *(a), aut si ponantur in congressu plurium suppositorum (b, c); possunt enim reciproca ad principale reverti (b) et ad secundarium (c):*

a.

CIC. Vos ex M. Fabonio audistis Clodium *sibi* dixisse periturum Milonem triduo.

SALL. Cornelius et Varguntejus constituerunt Ciceronem domi *suae* imparatum confodere.

b.

CAES. Caesar petit ab his, ut *se* frumento juvent.

PHAEDR. Hirci indignari coeperunt, quod dignitatem feminae aequassent *suam*.

c.

CURT. Scythae petebant ab Alexandro, ut regis sui filiam matrimonio *sibi* jungeret.

CAES. Caesar milites cohortatur, ut virtutis *suae* memoriam retinerent.

NOTA. Iis licet tibi esse contento: quodsi vis singula accuratius exposita, ne pigeat reliqua persequi:

3. Reciprocum personale sui, sibi, se.

74. Immediata reciprocatio (71 a) facienda ubique est per ***sui, sibi, se:***

SEN. Inventa sunt specula, ut homo *se* cognosceret.

CIC. Pythius piscatores ad *se* vocavit.

CIC. Ait Dejotarum vino *se* obruisse.

---

[1] H. e.: Si non *reciprocent.*

75. Pronomen, quod est suppositum infiniti reditque ad suppositum prioris verbi, reciprocum esse oportet (a), vix demonstrativum (b)[1]*:*

a.

CIC. Socrates respondit *se* meruisse.

CIC. Animus sentit *se* sua virtute moveri.

b.

CURT. Macedonum reges credunt *ipsos* ab illo deo genus ducere.

76. Mediata reciprocatio fit per ***sui*** *(a) vel per* ***is*** *(b)*[2]*:*

a.

CAES. Caesar petit ab his, ut *se* frumento juvent.

HOR. Alexander edicto vetuit, ne quis *se* praeter Apellem pingeret.

CAES. Ariovistus respondit omnes Galliae civitates contra *se* castra habuisse.

b.

CAES. Helvetii persuadent Rauracis, ut una cum *iis* proficiscantur.

CIC. Ligarius in provincia pacatissima ita se gessit, ut *ei* pacem esse expediret.

CAES. Belgae verebantur, ne, pacata Gallia, ad *eos* exercitus noster adduceretur.

77. Si nulla fuerit reciprocatio, ponitur ***is*** *jure suo (a),* ***sui*** *ex communi abusu (b):*

a.

CIC. Ad Verrem adierunt, ut *eum* simulacrum Cereris reposcerent.

---

[1] Est enim *immediata* reciprocatio.

[2] *Is* quum audis, intellige quodvis demonstrativum ut *hic, iste, ille, ipse* etc.

b.

CIC. Ad illum scribas te nihil recordari de *se*.

SEN. Puer ad tuum formetur arbitrium; multum *sibi* dabis, etiamsi nihil dederis praeter exemplum.

QUINT. Misera lacrymis parcius utebatur; nec *sibi* permittebat dolor lugere.

4. Reciprocum possessivum suus, a, um.

78. Si immediate reciprocandum sit, ***suus*** *ponitur passim (a),* ***ejus*** *fere nusquam (b)*[1]*:*

a.

SALL. Falso queritur de natura *sua* genus humanum.

PLAUT. Credo ego miseram fuisse Penelopam, quae tam diu viro *suo* caruit.

b.

AUCT. BELLI AFR. Intellexit adversarios non *illorum* virtute confidere, sed se despicere.

DONAT. Virgilius voluit *ejus* ossa Neapolim transferri.

79. Est et inversa reciprocatio[2]*, quae fit per* ***suus*** *vel per* ***ejus:***

CIC. Hannibalem *sui* cives e civitate ejecerunt.

SEN. Saepe in magistratum scelera redierunt *sua*.

CIC. Metellum parum pudor *ipsius* defendebat.

80. Si mediate reciprocandum sit, ponitur ***suus*** *(a) vel* ***ejus*** *(b):*

a.

CIC. Homerum Colophonii civem esse dicunt *suum*.

CIC. Postulat, ut evellatis ex animo *suo* omnem suspicionem.

CIC. Caverat adulter, ut *suorum* flagitiorum socium te praeberes.

---

[1] Quum audis *ejus*, intellige quemlibet genitivum demonstrativorum ut *illius, istius, ipsius, hujus* etc., *illorum, istorum, ipsorum, horum* etc.

[2] Fit enim a supposito ad terminum, quum illa alia fiat a termino ad suppositum.

b.

VELL. Alexander Lysippo imperavit, ut equitum faceret statuas et *ipsius* quoque his interponeret.

NEP. Cimon hortis nunquam imposuit custodem, ne quis impediretur, quominus *ejus* rebus frueretur.

81. Si nulla fuerit reciprocatio, ***ejus*** *ponitur jure suo (a),* ***suus*** *ex communi licentia (b):*

a.

TER. Si illum relinquo, vitae *ejus* timeo; sin opitulor, *ejus* minas.

CIC. Eo die apud Pomponium in *ejus* nuptiis coenaturus eram.

CIC. Habemus a Caesare, sicut majorum *ejus* amplitudo postulabat, sententiam.

b.

CURT. Erat Dario mite ingenium, nisi *suam* naturam fortuna corrumperet.

OV. Theraphnaeo feci de sanguine florem; et manet in folio scripta querela *suo.*

CAES. Caesar expulsos tribunos ad *suam* restituit dignitatem.

82. Commode ponitur reciprocum, tametsi non est nefas ponere demonstrativum, ubi reciprocatio quidem nulla est; esset tamen, si oratio paulum flecteretur:

CIC. Poenitet eum facti *sui* (q. d.: Ille poenitet facti *sui*).

CIC. A Caesare invitor, ut *sibi* sim legatus (q. d.: Caesar me invitat, ut *sibi* sim legatus).

CIC. A Curione mihi nuntiatum est *eum* ad me venire (q. d.: Curio mihi nuntiavit *eum* ad me venire).

5. Amphibolia in reciproco possessivo suus, a, um [1].

83. Quum ***suus, a, um*** *revertatur ad suppositum vel principale (a) vel secundarium (b), fiet amphibolia (nisi alicunde sensus aperitur) in congressu plurium suppositorum:*

[1] Vide appendicem, n. 391.

a.

CIC. Pythius a piscatoribus petivit, ut ante hortos *suos* piscarentur.

PHAEDR. Hirci indignari coeperunt, quod dignitatem feminae aequassent *suam.*

b.

CAES. Caesar milites cohortatur, ut virtutis *suae* memoriam retinerent.

CAES. Ariovistus respondit populum Romanum ad *suum* arbitrium imperare consuesse.

* *84. Quare* **suus** *ponitur, si, coëuntibus duabus tertiis personis, reversio fiat ad eam, quae sit suppositum:*

CAES. Afranius de salute *sua* cum Caesare agebat.

CAES. Helvetii *suis* finibus Germanos prohibent.

SALL. Jugurtha *suis* rebus diffidens Thalam pervenit.

† *85. Sunt, qui hanc legem, si sensus liqueat, durius negligant:*

VAL. MAX. Popilius salutis *ejus* auctorem jugulum praebere jussit.

* *86.* **Ejus** *ponitur, si, coëuntibus duabus tertiis personis, respectus fiat ad eam, quae sit terminus:*

CIC. Milo fit obviam Clodio ante fundum *ejus.*

CIC. Is ad socerum filiam *ejus* mittit.

SALL. Marius cum Ligure promissa *ejus* cognitum delectos mittit.

† *87. Solveris hac lege, si alicunde sensus liqueat:*

CAES. Caesar expulsos tribunos ad *suam* restituit dignitatem.

SALL. Cornelius et Varguntejus constituerunt Ciceronem domi *suae* imparatum confodere.

CAES. Unam triremem cum remigibus *suis* ceperunt.

88. Si **suus** *et* **ejus** *una coëant,* **suus** *ad suppositum referes,* **ejus** *ad terminum:*

CIC. Ne sit Ligarius cum T. Broccho avunculo *suo*, ne cum *ejus* filio, consobrino *suo*, vivat?

SALL. Majores vestrum miserti plebis Romanae decretis *suis* inopiae *ejus* opitulati sunt.

SALL. Jugurtha superbia sese efferens, propinquo *suo* interempto, regnum *ejus* sceleris *sui* praedam fecit.

89. **Suus** *et* **ejus** *ad unum commode referuntur, si modo* **suus** *reciprocet,* **ejus** *non (a); durius autem, si aut ambo reciprocent aut neutrum (b):*

a.

SALL. Jugurtha rebus *suis* diffidens Thalam pervenit, ubi multus pueritiae cultus filiorum *ejus* erat.

b.

S. HIER. Pontifex interrogavit Jesum de discipulis *suis* et de doctrina *ejus*.

6. Amphibolia in reciproco personali sui, sibi, se.

† *90. Quum* **sui, sibi, se** *revertatur ad principale suppositum (a) et ad secundarium (b), fiet amphibolia (nisi discutitur alicunde) in congressu plurium suppositorum:*

a.

CIC. Dionysius instituit, ut filiae barbam *sibi* adurerent.

PLAUT. Oratum iverunt deam, ut *sibi* esset propitia.

CAES. Caesar petit ab his, ut *se* frumento juvent.

b.

CURT. Scythae petebant ab Alexandro, ut regis sui filiam matrimonio *sibi* jungeret.

CAES. Caesar questus est milites *se* recepisse.

SALL. Caveant, ne, illo cunctante, Numidae *sibi* consulant.

† *91. In congressu duorum suppositorum discutietur amphibolia, si pronomen* **is** *referatur ad principale:*

Nam si dixero: Paulus petit ab Aemilio, ut curet *eum,* pronomen non potest referri ad Aemilium (74); potest vero ad Paulum (76); ergo si *eum* retulero ad Paulum, h. e. demonstrativum ad principale, vitavero amphiboliam.

92. Quodsi facienda esset relatio ad secundarium suppositum, et sensus ex adjunctis non argueretur, instituendus esset alius verborum contextus; nam reciprocum redderet sententiam ambiguam (83), demonstrativum barbaram (74)[1].

IV. Constructio verbi.

1. Verbum substantivum. — 2. Verba cum genitivo. — 3. Verba cum dativo. — 4. Verba cum altero accusativo. — 5. Verba cum ablativo. — 6. Verba cum ablativo et praepositione.

NOTA. Verba eorumque differentiae et constructiones sunt innumerae: ego praecipua summatim perstringam; cetera in lexicis quaerito.

1. Verbum substantivum.

* *93.* ***Sum*** *fert genitivum (a) et pro eo possessivum (b):*

a.

Cic. Temeritas est *florentis aetatis,* prudentia *senescentis.*
Cic. Non est *gravitatis tuae* ferre immoderatius casum.
Liv. Qui *Romanae partis* erant, urbe excesserunt[2].

b.

Cic. Est *tuum,* M. Cato, videre quid agatur.
Cic. Puto esse *meum* quid sentiam exponere.
Ov. *Vestrum* dare, vincere *nostrum* est.

* *94.* ***Sum*** *regit dativum unum (a) et alterum (b):*

---

[1] Vide appendicem, n. 391 et sqq., ubi solvo difficultates et refello adversarios. [2] Plura de genitivo habes in n. 222 et sqq.

a.

PERS. Tecum habita et noris, quam sit *tibi* curta supellex.
JUST. Fuere *Lydis* multi ante Croesum reges.
CIC. Mea domus erat *indicio* tui dominatus.

b.

CIC. *Magnae nobis* est *sollicitudini* valetudo tua.
CIC. *Nemini* meus adventus *labori* aut *sumptui* fuit.
PLAUT. Tua pietas plane *nobis auxilio* fuit[1].

* *95.* ***Sum*** *regit ablativum:*

CIC. Fac *animo forti magnoque* sis.
CIC. Erat Nice *eximia facie*, uxor Cleomenis.
CIC. *Capite* et *superciliis* semper est *rasis*[2].

2. Verba cum genitivo[3].

* *96. Verba* ***accusandi*** *(a),* ***damnandi*** *(b) et* ***absolvendi*** *(c) regunt genitivum, qui crimen significet vel poenam:*

a.

LIV. Aliquot matronas apud populum *probri* accusarunt.
SUET. Dolabellam, consularem virum, *repetundarum* postulavit.
CIC. An non intelligis, quales viros *summi sceleris* arguas?

b.

CIC. Civem Romanum *capitis* condemnari coëgit.
CIC. Cupio *octupli* damnari Apronium.
NEP. Themistocles absens *proditionis* damnatus est.

---

[1] Vide plura de dativo in n. 227 et sqq.
[2] Vide plura de ablativo in n. 242 et sqq.
[3] Activa regentia unum accusativum vide n. 232 et sqq.

c.

Cic. Video Neronis judicio non te absolutum esse *improbitatis.*

Liv. Senatus nec liberat *ejus culpae* regem neque arguit.

Liv. Purgant civitatem *facti dictique hostilis* adversus Romanos.

† *97. Genitivus poenae (a) vel criminis (b) ablativo mutatur: alter sine praepositione, alter cum ea saepe:*

a.

Cic. Vitia hominum atque fraudes *vinculis* et *verberibus* mulctantur.

Cic. Vos eum *capite* condemnastis.

Liv. Licinius Stolo *decem millibus* aeris est damnatus.

b.

Cic. Non committam, ut me accusare *de* epistolarum *negligentia* possis.

Liv. Ego me, etsi *peccato* absolvo, *supplicio* non libero.

Nep. Nullum erat crimen, *quo* argui posset.

* *98.* ***Interest*** *et* ***refert*** *genitivum poscunt (a) vel ablativos* ***mea, tua, sua, nostra, vestra*** *(b)*[1]*:*

a.

Cic. Multum interest *rei familiaris tuae* te venire.

Quint. Plurimum refert *compositionis,* quae quibus anteponas.

Cic. *Utriusque* nostrum interest, ut te videam.

b.

Cic. Magni interest *mea* cum amico una esse.

Ter. *Tua* quod nihil refert, percontari desinas.

Cic. *Tua* et *mea* maxime interest te valere.

---

[1] Vide appendicem, n. 406.

† 99. *Dices:* ***cuja*** *vel* ***cujus*** *interest (a);* ***nostra omnium*** *vel* ***nostrum omnium*** *interest (63); ceterum ablativos* ***mea, tua, sua*** *comitatur genitivus (b) vel relativum (c):*

a.

Cic. Ea caedes, si crimini datur, detur ei, *cuja* interfuit; non ei, *cuja* non interfuit.

Cic. Quis est, *cujus* intersit istam legem manere?

b.

Cic. *Mea unius* interest rempublicam defendere.

Caecil. *Mea hominis* quid refert?

c.

Ter. Hoc *mea* non refert, *qui* sum natu major.

Cic. *Vestra, qui* cum magna elegantia vixistis, hoc maxime interest.

* 100. ***Memini, misereor, obliviscor, recordor, satago*** *genitivum postulant (a); pro quo accusativum saepe* ***memini, obliviscor, recordor*** *(b):*

a.

Ter. Clinia *rerum suarum* satagit.

Cic. Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci *suorum.*

Ter. Faciam, ut *mei* memineris.

b.

Cic. *Omnia* obliviscor; in gratiam redeo.

Cic. Senes *omnia,* quae curant, meminerunt.

Cic. Est operae pretium *diligentiam* majorum recordari.

101. *Singularia sunt illa:* ***pendeo animi*** *(a) et* ***venit tui in mentem*** *(b):*

a.

Cic. Ego *animi pendere* soleo, quum traducor alio.

Cic. *Pendeo animi* exspectatione Corfiniensi.

Plaut. Ego *animi pendeo,* quid illud sit negotii.

b.

CIC. Venit mihi *Platonis* in mentem.

CIC. Non minus saepe ei venit in mentem *potestatis* quam *aequitatis tuae.*

CIC. Solet mihi in mentem venire *illius temporis.*

* *102. Adsciscunt genitivum* ***miseret, piget, poenitet, pudet, taedet*** *(a); quae personaliter vix ponuntur (b):*

a.

TER. *Fratris* me quidem pudet pigetque.

CIC. Num igitur *senectutis suae* eum poeniteret?

SALL. Me civitatis *morum* piget taedetque.

PLAUT. Ita te *aliorum* miserescat, ne *tui* alios misereat.

b.

ENN. Cogebant hostes lacrymantes, ut *misererent.*

JUST. Athenienses primi *poenitere coeperunt.*

PLAUT. Ita nunc *pudeo,* atque ita nunc paveo.

3. Verba cum dativo.

* *103. Verba* ***dandi*** *et* ***dicendi*** *(a), similia his (b) et contraria (c) regunt dativum:*

a.

SEN. Dicebam *vobis,* non semper Saturnalia erunt.

CIC. *Puero* quoque hoc a me dabis.

TER. Pergin' *hero absenti* male loqui, impurissime?

b.

TER. Ego me *tuae fidei* commendo.

CIC. Meas cogitationes explicavi *tibi.*

LIV. Rem *creditori* palam populo solvit.

c.

CIC. Hunc *mihi* timorem eripe.

CIC. Caesar *Dejotaro* detraxit Armeniam.

CIC. Nunquam *reo* quidquam tam praecise negavi.

* *104. Dativo construuntur, quae* ***commodum*** *significant,* ***repugnantiam, eventum*** *aut* ***studium:***

Cic. *Ipsi patriae* conducit pios cives habere in parentes.
Cic. Ego vero *quibus ornamentis* adversor *tuis?*
Cic. Accidit *huic* quod ceteris mortalibus.
Cic. Quum *litteris* studere incipit, tunc est Epicureus.

* *105. Dativo junguntur composita verbi* ***sum*** *(a); e quibus* ***possum, absum, insum*** *ablativo etiam gaudent (b): possum* ***sine praepositione,*** *absum cum* ***ab,*** *insum cum* ***in:***

a.

Cic. *Omnibus negotiis* non interfui solum, sed etiam praefui.
Cic. Contemnuntur ii, qui nec *sibi* nec *alteri* prosunt.
Cic. Fuit quidam in Crasso pudor, qui non modo non obesset ejus *orationi,* sed etiam prodesset.

b.

Cic. Apud me *dignitate* plurimum possunt.
Cic. Edixit, ut *ab urbe* abesset millia passuum ducenta.
Plaut. Nummi octoginta aurei *in marsupio* infuerunt.

106. ***Attendo, antecedo, illudo, incesso, praesto*** *vel dativo construuntur (a) vel accusativo (b):*

a.

Cic. Virtus praestat *ceteris rebus.*
Cic. Natura hominis *pecudibus* antecedit.
Liv. Gravior cura *patribus* incessiit.

b.

Liv. Virtute milites Romani *regios* praestabant.
Cic. Usu nauticarum rerum *reliquos* antecellunt.
Liv. *Ipsum* cupido incessierat potiundi Tarenti.

† 107. ***Consulo, prospicio, timeo, metuo*** *aliud accusativo (a) significant, aliud dativo (b):*

a.

CIC. Ego quid faciam, *te* consulo, qui philosophum audis.
TER. Nec pol istae metuunt *deos*.
LUC. *Moenia* prospicis urbis Tarpeia de rupe.

b.

CAES. Legati venerunt oratum, ut *suae vitae* consuleret.
VIRG. *Inopi* metuens formica *senectae*.
CIC. Consulite *vobis*, prospicite *patriae*.

† 108. *Dativum vix (a), fere accusativum (b) habent* ***decet, fugit, latet, manet, praeterit:***

a.

GELL. Adolescens praefatur arrogantius, quam *aetati* ejus decet.
VARRO. Vis, quae *oculis* et *auribus* latere soleat.
CLAUD. Una *cuncto* poena manet *generi*.

b.

OV. Capit ille coronam, quae possit *crines*, Phoebe, decere *tuos*.
CIC. Non fugisset hoc *Graecos*, si ita necesse esse arbitrati essent.
VIRG. Nec latuere doli *fratrem* Junonis.
CIC. P. Clodius, cujus quidem *te* fatum sicuti *Curionem* manet.
CIC. Sed *te* non praeterit quam sit difficile.

† 109. *Multa composita praepositionum dativum poscunt (a) aut casum praepositionis, eâ expressâ (b) vel suppressâ (c):*

a.

HOR. Gestit *paribus col*ludere.
VIRG. Stuppea vincula *collo in*tendit.

CIC. *Ad*didit *historiae* majorem sonum Antipater.

HOR. *Sollicitis animis* onus *ex*imit.

b.

CAES. Caesari nuntiatum est equites Ariovisti *ad nostros ad*equitare.

CIC. *Vobiscum* Africanus hostium spolia *com*municavit.

CIC. Tota se luna *sub orbem* solis *sub*jecisset.

TER. Adeon' videmur vobis idonei, *in quibus il*ludatis?

c.

POMP. MELA. Scandinavia magnitudine *alias insulas ante*stat.

NEP. Timotheus socios adjunxit Epirotas omnesque eas gentes, quae *mare* illud *ad*jacent.

HOR. Nec ignorat quid *di*stent aera *lupinis*.

PLAUT. Eum *navi ab*ire vetui.

† *110. Sunt quae gemino gaudent dativo:*

CIC. Summam laudem *Roscio culpae* dedisti.

PLAUT. Quis *vitio* id vertat *tibi?*

CIC. Pecuniam *iis foenori* dabat.

PLAUT. Nemo id *probro* ducet *Alcumenae* [1].

4. **Verba cum altero accusativo.**

* *111.* ***Celo, flagito, moneo, docco*** *(a) et multa, quae his propinqua (b) sunt aut ex his composita (c), adsciscunt alterum accusativum:*

a.

CIC. Non *te* celavi *sermonem* T. Ampii.

CIC. Haec sunt illa, *quae me* Crassus ludens flagitabat.

NEP. Relatum legent, quis *musicam* docuerit *Epaminondam*.

b.

LIV. Achaei *auxilia regem* orabant.

---

[1] Vide de dat. n. 227 et sqq.

CIC. *Magistratum nummos* poposcit.

CIC. Bacilius de privatis *me* primum *sententiam* rogavit.

c.

CIC. Ad Verrem adierunt, ut *eum simulacrum* Cereris reposcerent.

PLAUT. Hoc, *quod te* interrogo, responde.

SALL. Catilina *juventutem mala facinora* edocebat.

† *112.* ***Celo, rogo, moneo, doceo*** *sumunt ablativum rei cum* ***de*** *(a);* ***celo*** *etiam dativum personae (b);* ***moneo*** *et* ***commonefacio*** *genitivum rei (c):*

a.

SALL. *De itinere* hostium senatum docet.

CIC. Bassus noster me *de hoc libro* celavit.

CIC. Neque praesens filius te *de* liberorum *caritate* commonebat.

b.

HIRT. Quod neque *Alexandrinis* celari posset in apparanda fuga.

NEP. Id *Alcibiadi* celari diu non potuit.

c.

SALL. Catilina admonere alium *egestatis,* alium *cupiditatis,* complures *periculi* aut *ignominiae.*

CIC. Nemo est, quin *tui sceleris* ex illa oratione commonefiat.

LIV. Legatos miserunt, qui admonerent *foederis* cum Romanis.

113. Alterum accusativum ***peto*** *et* ***erudio*** *vix admittunt (a);* ***instituo, instruo, informo*** *nullo modo (b):*

a.

QUINT. *Quidquid* petii *patrem,* exoravi.

STAT. Et quae *te leges praecepta*que *fortia* belli erudiit genitrix?

b.

CIC. Jam senex institui *lyra* non erubescebat.

CIC. Artes, *quibus* aetas puerilis ad humanitatem informari solet.

PETR. *Salubribus praeceptis* juvenes instruere.

114. Alter accusativus manet in passiva voce:

CAES. Petrejus atque Afranius *stipendium* ab legionibus flagitantur.

OV. Nec tantum *segetes alimentaque debita* poscebatur humus.

SALL. Caesar rogatus *sententiam* hujuscemodi verba loquutus est.

5. Verba cum ablativo.

* *115.* ***Impleo, muto, vestio*** *(a) similiaque (b) his et contraria (c) gaudent ablativo:*

a.

PLAUT. Dolia nisi erunt semper plena, ego te implebo *flagris.*

HOR. Diruit, aedificat, mutat quadrata *rotundis.*

CIC. Natura oculos *membranis tenuissimis* vestivit.

b.

CIC. *Omnibus* eum *contumeliis* onerasti.

CIC. Deus *bonis omnibus* explet mundum.

PLIN. Zeuxis opera sua *nullo* satis *pretio* permutari posse dicebat.

c.

CIC. Apollonium *omni argento* spoliasti.

CIC. *Magno* me *metu* liberabis, dummodo inter te atque me murus intersit.

LIV. *Castris* exuerunt hostem.

† *116. E quibus* ***induo*** *et* ***exuo*** *ablativum mutant accusativo (a),* ***impleo*** *et* ***compleo*** *genitivo (b):*

a.

Ov. Jam dudum *vincula* pugnat exuere ipse sibi.
Cic. Non dixi hanc togam, *quam* sum indutus.
Curt. Revocatus *vestem* fratris induitur.

b.

Plaut. Parasitus me complevit *formidinis.*
Liv. Multitudinem *religionis justae* implet.
Cic. Non potes ollam *denariorum* implere.

† *117.* ***Aspergo, dono, impertio, induo, infundo, interdico*** *et alia gaudent accusativo personae et ablativo rei (a); vel dativo personae et accusativo rei (b):*

a.

Cic. Tarentini *hunc civitate ceteris*que *praemiis* donarunt.
Hor. *Penetralia* sparsit *nocturno cruore* hospitis.
Suet. Neque adveniens neque proficiscens *quemquam osculo* impertivit.
Cic. Male rem *gerentibus patribus bonis* interdici solet [1].

b.

Cic. *Mihi* populus Romanus *immortalitatem* donavit.
Cic. Sparsit *nummos populo* de rostris.
Cic. Terentia impertit *tibi multam salutem.*
Liv. *Feminis* dumtaxat purpurae *usum* interdicimus.

118. ***Afficio*** *notionem suam ex ablativo complet:*

Cic. Quid absurdius quam res sordidas et deformes deorum *honore* afficere?
Caes. Pertinaciam *magna poena* esse afficiendam judicabat.
Enn. *Injuria* abs te afficior *indigna,* pater.

* *119. Ablativum regunt* ***abundo, careo, egeo, fruor, fungor, mano, pluo, potior, utor, vaco, vescor*** *et alia:*

---

[1] Quae oratio conversa in activam haberet accusativum *patres gerentes* et ablativum *bonis;* aut accusativum *bona* et dativum *patribus.*

TIBULL. Fertilis *aestiva* Nilus abundat *aqua*.

SEN. Chrysippus ait sapientem *nulla re* indigere.

NEP. Propter suas occupationes minus saepe quam vellet *Attico* fruebatur.

CIC. Valetudo opportuna est, ut *muneribus* fungare corporis.

CIC. Nihil honestum est, quod *justitia* vacat.

LIV. Nuntiatum patribus est in Albano monte *lapidibus* pluisse.

† 120. *Ex quibus* **potior** *genitivum vel accusativum admittit (a);* **pluo, vescor, utor** *accusativum (b);* **egeo, indigeo** *genitivum (c):*

a.

CIC. Exploratum est posse te *illius regni* potiri.

CIC. Cleanthes solem dominari et *rerum* potiri putat.

NEP. Ii *summam* imperii potiuntur.

b.

LIV. In area Vulcani *sanguinem* pluit.

PHAEDR. Milvus coepit vesci *singulas columbas*.

CAT. Villica *vicinas* quam minimum utatur.

c.

CIC. Gravitas morbi facit, ut *medicinae* egeamus.

CIC. Virtus *plurimae exercitationis* indiget.

CIC. Jam illa non tam *artis* indigent, quam *laboris*.

6. Verba cum ablativo et praepositione.

† 121. *Ablativum cum praepositione regunt verba* **petendi** *(a),* **percontandi** *(b),* **auferendi** *(c),* **arcendi** *(d),* **accipiendi** *(e),* **intelligendi** *(f):*

a.

CIC. Hic vitam *a L. Sulla* deprecatus est.

NEP. Athenienses auxilium *a Lacedaemoniis* petiverunt.

b.

Cic. Non quaero *abs te,* quare patrem Roscius occiderit.
Cic. Percontatur *ex anicula,* quanti venderet.

c.

Cic. Provincias consulares abstulit *a senatu.*
Cic. Poma *ex arboribus,* si cruda sunt, difficulter evelluntur.

d.

Cic. Clodii furores *a cervicibus vestris* reppuli.
Cic. Jupiter, hunc *a tuis aris, a tectis* urbis, *a vita* civium arcebis.

e.

Cic. Praeclarum *a majoribus* accepimus morem.
Cic. *A viris* virtus nomen mutuata est.

f.

Cic. Ea certissima putabo, quae *ex te* cognoro.
Cic. Audivi hoc *de parente meo* puer.

† 122. *His accedunt, quae* ***differentiam*** *(a) et* ***dissensionem*** *(b) significant; quibus dativus etiam pro ablativo datur (c):*

a.

Caes. Neque multum Britanni *a Gallica* differunt *consuetudine.*
Cic. Belluae secernunt pestifera *a salutaribus.*
Cic. Ut intelligatis discrepare *ab aequitate* sapientiam.

b.

Cic. Id Aristoteles ut optimum probat, *a quo* dissentio.
Cic. Temeritas *a sapientia* dissidet plurimum.
Cic. Dissentit *cum Mario* L. Sulla.

c.

Sen. Ne *orationi* vita dissentiat.
Hor. *Infido scurrae* distabit amicus.
Hor. Scire volam, quantum discordet parcus *avaro.*

V. Constructio participii.

* *123. Participia regunt casus verborum, unde orta sunt:*

Cic. Tiresiam nunquam inducunt poëtae deplorantem *caecitatem suam.*

Cic. Despectum *a ceteris,* adulantem *omnes* videre te volui.

Liv. Ancus *ingenti praeda* potitus Romam rediit.

Cic. Totus est *ab his, a quibus* tuendus erat, derelictus.

Curt. Alexander vestem detraxit corpori projecturus *semet* in flumen.

† *124.* ***Exosus, perosus, pertaesus*** *donantur accusativo:*

Curt. *Patrios mores* exosus est.

Liv. Plebs *nomen* regum perosa erat.

Suet. Pertaesus *ignaviam suam* est.

† *125. Participia quaedam passiva vim habent activorum; maxime* ***cautus, coenatus, consideratus, disertus, falsus, potus, pransus, profusus, tacitus:***

Hor. Neu *pransae* lamiae vivum puerum extrahat alvo.

Cic. Bene *potus* domum redieram.

Sall. Ambitio multos mortales *falsos* fieri subegit: aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere.

Cic. Rem *tacitus* praeterire nullo modo possum.

† *126. Participia praesentis temporis (a), nonnulla etiam praeteriti (b) nominum instar genitivo gaudent et gradus induunt (c):*

a.

Cic. Romani semper *appetentes gloriae* fuerunt.

Caes. Nemo erat adeo tardus et *fugiens laboris.*

Curt. Darius *nullius salubris consilii patiens* erat.

b.

Sall. Catilina alieni appetens, *profusus sui.*

Cic. Tam acer in ferro et tam *insuetus contumeliae.*

Tac. *Lentitudinis* eorum *pertaesa est.*

c.

CIC. Ego ita judico nihil illo regno *spoliatius.*
CIC. Haec tu, omnium mortalium *profligatissime,* sciebas.
CIC. Ad nos *amantissimos* tui veni.

VI. Constructio gerundii.

* *127. Gerundia sunt alia substantiva, quae ponuntur absolute (a, c); alia adjectiva, quae concordant nomini (b). Substantiva alia sunt activa, quae actionem (a); alia passiva, quae passionem (c) significant:*

a.

VARRO. Boves *arandi* causa quadrimos parandum est.
LIV. Nec triumviri *accipiendo* nec scribae *referendo* sufficerent.
SALL. Neque ego callidam facundiam ad *malefaciendum* exercui.

b.

CIC. Mei capitis *servandi* causa Romam Italia tota convenit.
LIV. Agite dum, comitia tribunis militum *creandis* indicite.
CAES. Minimum spatium ad *se armandos* dabatur.

c.

SEN. Si quis ad *verberandum* ducatur, eo die verberari piaculum est.
JUST. Puer missus est Athenas *erudiendi* causa.
PLIN. Ficus Alexandrinae vix sunt *vescendo.*

† *128. Gerundia variantur per casus (a) et regunt quos sua verba (b) et reguntur ab adjectivis (c) et a substantivis (d) et a praepositionibus (e):*

a.

LIV. Sensit Perseus, cujus nominis *oblivisCendum* victo est.
CAT. Oleam ne tangito *utendi* causa.

PLIN. Charta emporetica inutilis est *scribendo.*

VAL. MAX. Aram Fortunae *faciendum* curavit.

CIC. Hominis mens *discendo* alitur.

b.

CAT. *Monendum* est *te* mihi, bone Egnati.

CIC. Sum cupidus *te audiendi.*

LIV. Consul eandem ferociam habuit ad non *parendum senatui.*

c.

VIRG. *Fandi doctissima* Cymodocea.

PLIN. Ferrum rubens non est *habile tundendo.*

TAC. *Periti imperiti*que *nandi* perinde attolluntur.

d.

PLAUT. Nunc tibi *potestas adipiscendi* est gloriam.

CIC. *Audiendi delectatione* ducitur.

CIC. Hirtium ego et Dolabellam *dicendi discipulos* habeo, *coenandi magistros.*

e.

PLIN. Doctissimis sermonibus diem transigebat, cum *a scribendo* vacaret.

VIRG. Equi *ante domandum* ingentes tollunt animos.

QUINT. Plus eloquentia *circa movendum* valet.

QUINT. Scribendi ratio conjuncta *cum loquendo* est.

LIV. Praelia *de occupando* ponte crebra erant.

CIC. *Ex defendendo* quam *ex accusando* uberior gloria comparatur.

TER. Contrivi *in quaerendo* aetatem meam.

LIV. *Inter spoliandum* corpus hostis veruto percussus exspiravit.

CIC. Eum, a quo pecuniam *ob absolvendum* acceperis, condemnas.

PLAUT. *Pro vapulando* mercedem petam.

HOR. *Super jugandis* feminis decreta.

† *129. Gerundio nominativi jungitur dativus agens (a), quod in futurum passivum saepius vertitur (b):*

a.

Cic. Tamquam confeceris longam viam, quam *nobis* quoque ingrediendum sit.

Cic. Suae *cuique* utilitati serviendum est.

Plaut. Opinor, *mihi advenienti* hac nocte agitandum est vigilias.

b.

Ter. Chremes *mihi exorandus* est.

Cic. Non *paranda nobis* solum, sed fruenda etiam sapientia est.

Ter. Syrus est *exhortandus mihi.*

† *130. Gerundia in* **di** *attrahunt genitivum, quod tum cernere est, quum terminus pluralis est (a) aut femininus (b)*[1]*:*

a.

Plin. *Illorum videndi* causa me in forum contuli.

Cic. Antonio facultas datur *agrorum* suis latronibus *condonandi.*

Cic. Honestum est facere omnia, aut *voluptatis* causa aut *eorum,* quae secundum naturam sint, *adipiscendi.*

b.

Plaut. Mihi item ut parentes das *lucis tuendi* copiam.

Ter. Ego *Philumenae videndi* cupidus recta consequor.

Ov. Spem *placandi* dantque adimuntque *tui*[2].

131. Si terminus gerundii hujus fuerit pronomen, vix licet poni adjective gerundium; sed aut fit attractio (a) aut ponitur pronomen in accusativo (b):

---

[1] Vide appendicem, n. 407.

[2] Fit sermo ad feminam.

a.

CAES. Frequentes ad eum extra castra venerunt *sui purgandi* causa [1].

CIC. Ingenuit animantibus *conservandi sui* natura custodiam.

LIV. Non vereor, ne quis me hoc *vestri adhortandi* causa loqui existimet.

b.

LIV. Gallica acies nullum spatium *recipiendi se* dedit.

SALL. Jugurtham libido *exstinguendi me* invasit.

CIC. Sum cupidus *te audiendi* [2].

† *132. Quia gerundium a nominativo praecedi non potest* [3] *et necesse est, ut ejus actio vel passio alicui supposito adscribatur, ideo, praeter impersonale (c), usurpari non potest, nisi e proximo subaudiatur suppositum actionis (a) vel passionis (b):*

a.

SALL. M. Marcellus *petundi* causa missionem rogat.

PLAUT. Ancillae *eluendo* operam dederunt.

CIC. Quum Philogenes Laodiceam ad me *salutandi* causa venisset, has ei litteras dedi.

b.

VARRO. Diebus paucis boves erunt mansueti et ad *domandum* proni.

VELL. Cives Romanos ad *censendum* ex provinciis in Italiam revocarunt.

PLIN. Ficus Alexandrinae vix sunt *vescendo.*

c.

CIC. Alii omne officium referunt ad non *dolendum.*

QUINT. Alia *docendi,* alia *movendi* causa dicenda sunt.

HIRT. Utrimque processum est ad *dimicandum.*

---

[1] Neque enim diceretur: *sui purgandorum* causa.

[2] Tamen dicit Ov.: Sit modo *placandae* copia parva *tui.*

[3] Ut in Ps.: In convertendo *Dominus* captivitatem, facti sumus sicut consolati.

133. Si suppositum nimis oblique subaudiatur, durius fit gerundium:

CIC. Nec mihi Regulus, *quem* Carthageniensis *vigilando* necaverunt, videtur supplicio affectus [1].

NEP. Sic se *gerendo*, minime est mirandum, si vita *ejus* fuit secura [2].

VII. Constructio supini.

* *134. Supina in* **um** *actionem significant (a), et passionem (b); et regunt verborum casus (a):*

a.

SALL. Tribunitiam potestatem *eversum* profecti sunt.
PLAUT. Non tu me *argento* dedisti *nuptum*, sed *viro*.
VIRG. Non ego *Grajis servitum matribus* ibo.
HOR. *Lusum* it Maecenas, *dormitum* ego Virgiliusque.

b.

PLAUT. Coctum ego, non *vapulatum* conductus sum.
PLAUT. Mihi istaec videtur praeda *praedatum* irier.
CAT. Contumelia mihi per hujusce petulantiam *factum* itur.

135. Supinum cum **iri** *supplet tertiam vocem passivam (a), cum* **ire** *primam activam (b):*

a.

TER. Audierat *datum iri* filio uxorem.
CIC. Ait Pompejus se prius *occisum iri* ab eo quam me *violatum iri*.
CAES. Longius eam rem *ductum iri* existimabant.

b.

PLAUT. Quî magis poteratis mihi *habitum ire* honorem?

---

[1] Regulus enim vigilavit, non Carthaginienses.

[2] Durius illud ULP.: »Elegit eum Dominus sacerdotem sibi *ad sacrificandum* ei hostiam laudis.» Durissimum illud ULP.: »Si bona pupilli creditores possidere coeperint, deminutio ex his fieri debet, *pupilli vescendi* causa.»

LIV. Vitricus tuus vitam tuam *perditum ire* properat.

PLAUT. Siccine oportet *ire* amicos amanti operam *datum?*

* *136. Supina in* **u** *passionem significant (a), vix actionem (b); casum non regunt, reguntur autem ab adjectivis plerumque (a) et fiunt nomina, si eis adjectivum accedit (c):*

a.

CIC. Quid est tam *jucundum cognitu* atque *auditu* quam sapientibus sententiis ornata oratio?

CIC. O rem quum *dictu crudelem* tum *visu nefariam.*

TAC. Germanos et, *pudet dictu*, Britannorum plerosque vidimus.

CIC. Videtis *nefas* esse *dictu* miseram fuisse Fabii senectutem.

b.

STAT. Quem tu *venatu redituram* in limine opperiens.

TAC. Oppidum Brundusium naviganti *fidissimum adpulsu* est.

PLAUT. Redeo *obsonatu*[1].

c.

CIC. Consurgit Scaptius *magno natu.*

GELL. Eos versus *assiduo memoratu* dignos puto.

PLAUT. *Tuo arcessitu* huc veni.

VIII. Constructio ceterorum verbalium.

137. Sunt quaedam in **bundus** *verbalia (a), item in* **io** *(b) aut* **us** *(c), quae casus verborum amant; alia in* **bilis,** *quae dativum (d); alia in* **ax, ius, idus, osus,** *quae genitivum (e):*

a.

SALL. *Vitabundus classem* hostium ad oppidum pervenit.

LIV. *Haec* prope *concionabundus* circumibat homines.

JUST. Exspiravit Epaminondas quasi *gratulabundus patriae.*

[1] H. e.: Redeo ex obsonando.

b.

CIC. Cethegi *profectio in Hispaniam.*

CIC. Justitia est *obtemperatio scriptis legibus.*

PLAUT. Quid tibi *amicam meam aditio* est, quid tibi *hanc,* inquam, *notio* est?

c.

CIC. Animis, cum e corpore excesserint, *reditus ad coelum* patet.

LIV. Septem *exitus e domo* fecerat.

CIC. *Aditus in id sacrarium* non est viris.

d.

CIC. *Ei* pax praesertim civilis fuit *optabilis.*

CIC. *Amabilior mihi* Velia fuit, quod te ab ea sensi amari.

VIRG. Hic oleaster, *nautis* olim *venerabile* lignum [1].

e.

VIRG. Fama tam *ficti pravique tenax* quam nuntia veri.

CAES. *Alicujus injuriae* sibi *conscius* fuisset.

LIV. Improvidus futuri certaminis.

CIC. Pythagoras *scientiae studiosos* appellat philosophos.

IX. Constructio adverbii.

1. Adverbia generatim. — 2. Adverbia singulatim.

1. Adverbia generatim.

† *138. Adverbia dantur non solum verbis (a), sed etiam adjectivis (b) et ipsis adverbiis (c):*

a.

HOR. Sic *raro scribis,* ut toto non *quater* anno membranam *poscas.*

CIC. Nonnumquam ea, quae praedicta sunt, *minus eveniunt.*

TER. Minis viginti eam emisti; quae res tibi *vertat male.*

---

[1] Haec in *bilis* vix sunt activa: VIRG. Aspice num mage sit nostrum *penetrabile* telum.

b.

Hor. Tabulas *multum* Nasica *negatas* accipit tandem.
Cic. *Quinque omnino* fuerunt, qui Oppianicum absolverent.
Ter. Nihil videtur mundius nec *magis elegans.*

c.

Cic. Terentia *mimus belle* habuit.
Cic. Rem te *valde bene* gessisse rumor erat.
Cic. *Parum diu* vixit.

139. Adverbia casum accipiunt ex natura (a) vel gradu (b) adjectivorum, unde orta sunt:

a.

Cic. Dixit *convenienter sententiae suae.*
Cic. *Caesari obviam* longissime processisti.
Cic. Medici officium est curare *ad sanandum apposite.*

b.

Cic. Nemo est, qui tibi *sapientius te ipso* suadere possit.
Cic. *Omnium oratorum* loquitur *elegantissime.*
Cic. Piso *maxime ex omnibus,* qui ante fuerunt, Graecis doctrinis eruditus fuit.

140. Adverbia in **um** *dantur plerumque positivis (a), in* **o** *comparativis et superlativis (b):*

a.

Cic. *Parum multi* sunt, qui nobilitatem ament.
Cic. In rebus apertissimis *nimium longi* sumus.
Virg. *Multum* ille et terris *jactatus* et alto.

b.

Cic. *Multo pauciores* oratores quam poetae boni reperiuntur.
Caes. *Maturius paulo* quam tempus anni postulabat.
Cic. Mihi semper frequens conspectus vester *multo jucundissimus.*

141. Pro adverbiis ponuntur aliquando adjectiva neutro genere singulari (a) vel plurali (b) vel facta concordantia (c):

a.

HOR. Cur in amicorum vitiis tam cernis *acutum* quam aquila?
STAT. Magni memor illa mariti it *torvum* lacrymans.

b.

VIRG. Ardentem et *torva* tuentem lenibat dictis.
VIRG. Mutati venti *transversa* fremunt.

c.

LIV. *Priori* Remo augurium venisse fertur [1].
CIC. Roscius erat Romae *frequens.*
VIRG. Aeneas se *matutinus* agebat.

2. Adverbia singulatim.

NOTA. Exponam ea, quae in construendo habent aliquid notatu dignum. Cetera prope innumera in lexicis quaerenda sunt.

† *142.* ***Abunde, instar, nimis, parum, satis*** *et alia regunt genitivum (a), nisi ponuntur absolute (b):*

a.

SUET. Se jam pridem *potentiae gloriae*que abunde adeptum.
CIC. Nimis *insidiarum* ad capiendas aures adhibet.
SALL. Satis *eloquentiae, sapientiae* parum.
CIC. Plato mihi unus instar est *omnium.*

b.

CIC. Si *satis* consilium quadam de re haberem.
SALL. Parentes *abunde* habemus.
PLAUT. Ut tuis *parum* sit apud te fides.
ULP. Proponatur *instar* quoddam et quasi facies operis.

[1] H. e.: Prius Remo quam Romulo.

† *143.* ***En*** *et* ***ecce*** *accusativo junguntur, item* ***pridie*** *et* ***postridie*** *(a); haec etiam genitivo (b), illa nominativo (c):*

a.

Cic. Ecce *miserum hominem,* si dolor summum malum est.
Cic. Me in Tusculano *pridie nonas* convenerunt.

b.

Cic. Haec scripsi postridie *ejus diei.*
Ulp. Etiamsi pridie *kalendarum* fecerit.

c.

Cic. Ecce tibi ex adverso *Lansacenus.*
Cic. En *causa,* cur dominum servus accuset.

144. ***Admodum, apprime, per, perquam, valde*** *et similia fere praeponuntur positivis (a); tamen* ***longe, multo, quam*** *ipsis etiam superlativis (b):*

a.

Caes. Natio est omnis Gallorum *admodum dedita* religionibus.
Ter. Scis fratrem ejus esse *apprime nobilem.*
Cic. *Per* mihi *mirum* visum est.
Cic. Id mihi quidem *perquam puerile* videri solet.

b.

Cic. Ex pontificum commentariis *longe plurimum* ingenio valuisse videtur.
Cic. Arrogantia ingenii est *multo molestissima.*
Cic. Mihi Cuspius *quam maximas quam saepissime* gratias agit.

145. Tametsi ***magis*** *ad qualitatem pertinet (a),* ***plus*** *ad quantitatem (b); saepe tamen commutantur (c):*

a.

Ter. Non Apollinis *magis verum* quam hoc responsum est.
Virg. O luce *magis dilecta* sorori.

b

MART. Speranti plures venerunt *plusve* minusve *duae.*

CIC. Paulo *plus* furor Pulchelli *progredi* posset.

c.

QUINT. Cum verbo idem verbum *plus significanter* subjungitur.

CIC. Annos natus *magis quadraginta.*

146. ***Nedum*** *valet* ***quanto minus*** *(a) et vix ponitur in prima parte (b):*

a.

TER. Satrapa, si eam duxerit, nunquam sufferre ejus sumptus queat; *nedum* tu possis.

CIC. Vix in ipsis tectis frigus vitatur, *nedum* in mari.

LIV. Consules vel in pace tranquilla bellum excitarent, *nedum* in bello respirare civitatem forent passuri.

b.

BALB. AD CIC. *Nedum* hominum humilium, sed etiam amplissimorum consilia ex eventu probari solent.

147. ***Partim*** *non solum adverbiorum more ponitur (a), sed etiam nominum (b):*

a.

CAT. Circum vias ulmos serito, *partim* populos, ubi frondem ovibus et bubus habeas.

CAT. Bubulcis obsequitor, *partim* quo libentius boves curent.

b.

CIC. *Partim* ex illis distracti ac dissipati jacent.

LIV. *Partim* copiarum ad tumulum expugnandum mittit, *partim* ipse ad urbem ducit.

148. Sunt adverbia, quae adsciscunt aliquas conjunctiones: ***Aeque*** *(a),* ***aliter*** *(b),* ***contra*** *(c) admittunt* ***ac, atque, quam:***

a.

Cic. Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui *aeque ac* tu ipse gauderet?

Cic. Me colit *aeque atque* patronum suum.

b.

Cic. Ne sim salvus, si *aliter* scribo *ac* sentio.

Cic. Ne *aliter quam* ego velim, laudet ingenium meum.

c.

Cic. Aliquid factum diceretur *contra atque* oporteret.

Cic. De vestro jure *contra quam* posueram disputabo.

149. ***Ante, prius*** *adsciscunt* ***quam*** *cum indicativo (a) vel subjunctivo (b):*

a.

Cic. Necessitudinem habui cum domo vestra *ante* aliquanto *quam* tu natus *es*.

Ter. Omnia experiri certum est *prius quam pereo*.

b.

Cic. Causa *ante* mortua est *quam* tu natus *esses*.

Virg. Nec *prius* absistit *quam* septem corpora *fundat* humi.

150. ***Commodum*** *adsciscit* ***quum:***

Cic. *Commodum* ad te dederam litteras, *quum* ad me bene mane Dionysius fuit.

Cic. *Commodum* discesseras heri, *quum* Trebatius ad me venit.

151. ***Hoc, eo*** *adsciscunt* ***quo*** *in comparando:*

Cic. *Hoc* magis est testimonium amoris mei, *quo* maturius tibi quam ceteris nuntiavi.

Cic. Quarum rerum *eo* gravior est dolor, *quo* culpa major.

Cic. *Hoc* audio libentius, *quo* maturius.

152. ***Interea*** *poscit* ***dum, quoad:***

CAES. *Interea* manerent induciae, *dum* ab illo rediri potest.

CAES. *Interea quoad* fides esset data Caesarem facturum, quae pollicetur.

CIC. Haec *dum* aguntur, *interea* Cleomenes jam ad Pelori litus pervenerat.

153. ***Juxta*** *poscit* ***ac, atque, cum:***

LIV. Absentium bona *juxta atque* interemptorum divisa fuerunt.

LIV. Vestrum nomen imperiumque *juxta ac* deos immortales intuetur.

SALL. Nunc vero, quo in loco res nostrae sint, *juxta mecum* omnes intelligitis.

154. ***Parumper*** *et* ***paulisper*** *admittunt* ***dum:***

PLAUT. *Paulisper* remitte restem, *dum* concedo et consulo.

TER. *Dum* exeo, *parumper* opperire hic.

CIC. *Paulisper, dum* se uxor, ut fit, comparat, moratus est.

155. ***Perinde*** *adsciscit* ***ut, atque, quasi:***

CIC. Vereor ut hoc, quod dicam, *perind*e intelligi auditu possit, *atque* ego cogitans sentio.

CIC. Non *perinde, ut* est reapse, percipere ex litteris potuisti.

CIC. Metelli sperat sibi quisque fortunam *perinde, quasi* certi quidquam sit in rebus humanis.

156. ***Prae*** *sumit* ***ut, quam:***

PLAUT. Parum etiam, *prae ut* futurum est, praedicas.

PLAUT. Modestior quidem nunc est, *prae ut* dudum fuit.

PLAUT. Parva res est voluptatum in vita, *prae quam* quod molestum est.

157. ***Praeter*** *gerit* ***quam*** *(a), quae particula desideratur aliquando (b):*

a.

TER. Mihi videre facere *praeter quam* res te adhortatur tua.

LIV. *Praeter quam* quod admissi sunt, irrita legatio fuit.

b.

OV. Nîl *praeter salices cassa*que *canna* fuit.

SALL. Ceterae multitudini diem statuit *praeter* rerum capitalium *condemnatis.*

CIC. Nullas adhuc litteras acceperam, *praeter quae* mihi binae in Trebulano redditae sunt [1].

158. ***Pridie*** *et* ***postridie*** *admittunt* ***quam:***

CIC. Domum deductus est *pridie quam* excessit e vita.

CIC. Haec epistola *pridie* data est *quam* illa.

CIC. Quid causae fuerit *postridie* intellexi *quam* a vobis discessi.

159. ***Simul*** *adscit* ***ac, atque, ut*** *(a), quae etiam supprimuntur (b):*

a.

CIC. *Simul ac* mihi collibitum est, praesto est imago.

CIC. *Simul ac* sensit, Romam confugit.

CIC. Omne animal, *simul ut* ortum est, se ipsum diligit.

b.

CIC. *Simul* inflavit tibicen, carmen agnoscitur.

CIC. *Simul* aliquid audiero, scribam ad te.

CIC. *Simul* clamor est exauditus, Aetoli desertis stationibus in arcem confugiunt.

---

[1] Nisi mavis subaudire *eas.*

X. Constructio praepositionis.

NOTA. Exponam praecipuas: ceteras in lexicis quaerito.

† *160.* ***A*** *praeponitur solis consonantibus (b),* ***ab*** *et vocalibus et consonantibus (a): significat autem originem (a), causam (b), distantiam (c) et tempus* ***ex quo*** *(d):*

a.

Liv. Sinus maris, *ab nomine* propinquae urbis, Ambracius appellatur.

Mart. Tigris *ab Hircano* gloria clara jugo.

Liv. Turnus *ab Aricia* ferociter in Tarquinium erat invectus.

b.

Cic. Mare, quia nunc *a sole* collucet, albescit et vibrat.

Cic. Nihil est valentius, *a quo* ratio intereat.

Liv. Urgebat Gallos pestilentia castra habentes loco *ab incendiis* torrido.

c.

Caes. *A millibus* passuum *duobus* castra posuerunt.

Plin. Jam prope *a muris* habemus hostem.

Caes. Passus sexcentos *ab his castris* idoneum locum delegit.

d.

Varro. *A bima* aut *trima* fructum ferre incipit vacca.

Cic. Quod augures omnes usque *a Romulo* decreverunt.

Cic. Utinam *a primo* tibi esset visum.

161. Observa illa:

A tergo tenetur hostis. — Non *abs re* erit subtexere. — Timet *a suis*. — Stat *a mendacio* contra verum. — Imparatus *a pecunia*. — *A puero*. — *Ab hora* septima. — *Ab integro*.

† *162.* ***Ad*** *significat non solum motum* ***quo*** *(a), sed etiam locum* ***ubi*** *(b), finem (c), comparationem (d):*

a.

SUET. Aquila duos corvos afflixit et *ad terram* dedit.

CIC. Ego *ad quos* scribam nescio nisi *ad eos,* qui *ad me* scribunt.

b.

CIC. Miles depugnavi *ad Thermopylas.*

CIC. Castra *ad Cabystra,* quod est *ad montem Taurum,* locavi.

CIC. Signa exposita sunt *ad Cajetam.*

c.

CIC. Potestate, quam tu *ad dignitatem* permisisses, *ad quaestum* uteretur.

CIC. In aedibus monumentum reipublicae collocavit *ad dolorem* bonorum omnium.

d.

CIC. Terra in medio mundo sita *ad* universi coeli *complexum* puncti instar obtinet.

TER. Estne, ut fertur forma? Sane, sed nihil *ad hanc nostram.*

163. ***Ad*** *cum genitivo ponitur subaudito templum vel aedem (a); item absolute cum quovis casu (b):*

a.

HOR. Ventum erat *ad Vestae*, tertia jam parte diei praeterita.

CIC. Senatus *ad Apollinis* habitus est.

CIC. Pecunia utinam *ad Opis* maneret.

b.

CAES. Occisis *ad* quatuor hominum *millibus.*

LIV. Cecidere in pugna fugaque *ad duo millia* et *quingenti* civium sociorumque.

CAES. *Ad* duorum millium numero fuerunt.

164. Observa illa:

Discere *ad verbum.* — Canere *ad tibiam.* — Edere *ad satietatem.* — Implere vas *ad fauces.* — Adesse *ad dictam* diem. — Bonus *ad speciem.* — Facere *ad amussim; ad unguem; ad perpendiculum.*

165. ***Ante*** *non modo locum, sed etiam tempus significat atque aestimationem:*

Cic. Ab eis petivit, ut *ante hortos* suos piscarentur.

Virg. *Ante Jovem* nulli subigebant arva coloni [1].

Sall. Facundia Graeci *ante Romanos* fuerunt.

166. Observa illa:

Factus consul *ante tempus.* — *Ante diem* tertium calendas. — Felix *ante alias* Priameia virgo. — Dulces *ante omnia* musae.

167. ***Citra*** *opponitur* ***ultra*** *estque pro* ***sine:***

Cic. Locus est *citra Leucadem.*

Colum. *Citra kalendas* Octobris seminare convenit.

Colum. Dare glandem capris *citra satietatem.*

168. ***Cum*** *non solum societatem significat, sed etiam oppositionem et modum:*

Cic. *Cum Pansa* vixi in Pompejano.

Cic. *Cum hoste* cominus in acie saepe pugnavit.

Tac. Jussos dicta *cum silentio* accipere necessitatis admonuit.

169. Observa illa:

Esse *cum telo.* — Esse *cum imperio.* — Cogitare *cum animo.* — Facere *cum malo; cum periculo; cum eo ut.*

† 170. ***De*** *significat originem (a), deductionem (b), causam (c), materiem (d) et alia:*

---

[1] H. e.: Ante quam regnaret Jupiter.

a.

VIRG. Genitrix *de gente vetusta* est mihi.
OV. Libyca *de rupe* leones.
SUET. *De mausoleo* audita est vox.

b.

CAT. Brassica *de capite* omnia mala deducet et sanum faciet.
CIC. Ferrum *de manibus* extorsimus.
CIC. Nomen suum *de tabula* sustulit.

c.

CIC. Flebat pater *de* filii *morte.*
CURT. Non *de regno* Asiae, sed *de rege* sanguis est fundendus.
CIC. Provide, ne quid ei desit, *de qua* scis me miserrimum esse.

d.

CIC. Judicium est non *de re pecuniaria*, sed *de fama* Quintii.
CIC. Regulus *de captivis commutandis* Romam missus est.
AD CIC. Sulla legatus ad senatum *de* Rhodiorum *praemiis* venerat.

171. Observa illa:

Agere *de sella.* — Pugnare *de genu.* — Vigilare *de nocte.* — Sumere poenas *de sontibus.* — Nosse *de facie.* — Recitare *de scripto.* — *De nihilo* irasci. — Facere *de industria; de integro; de improviso.*

† *172.* **Ex** *non solum partitionem significat (45) et locum* **unde** *cum motu (276), sed etiam locum* **unde** *cum quiete (a); item materiem (b), causam (c), compositionem (d), mutationem (e), modum (f):*

a.

CAER. Orgetorigem *ex vinculis* causam dicere coëgerunt.

CIC. Ille *ex cruce* Italiam cernere ac domum suam prospicere poterat.

CIC. *Ex villa* audieram fremitum clientium meorum.

b.

CIC. Fuit apud Segestanos *ex aere* simulacrum Dianae.

CIC. Vas vinarium *ex una gemma praegrandi.*

CIC. Ennius in sepulcro Scipionum est constitutus *ex marmore.*

c.

CIC. *Ex lassitudine* arctius dormit.

LIV. Viderunt *ex gravitate* loci vulgari morbos.

QUINT. Videbant quosdam *ex vino* vacillantes.

d.

PAUT. Jam dudum sputo sanguinem — Resinam *ex melle* devorato.

CELS. Bibat jejunus *ex aqua* Castoreum.

CELS. Panis *ex vino* est modici ponderis.

e.

CIC. *Ex homine* factus verres.

CIC. Nihil est tam miserabile quam *ex beato* miser.

PLAUT. Possum tranquillum facere *ex irato.*

f.

TAC. Utinam istuc verbum *ex animo* ac vere diceres!

CIC. Feliciter et *ex mea sententia* rempublicam gerimus.

CIC. Ut spero, statues *ex nostra dignitate.*

173. Observa illa:

Stat *e regione; ex adverso.* — Me aliud *ex alio* impediit. — Laboro *ex renibus.* — Requiesco *ex labore.* — Dixi *ex tempore; ex occasione.* — Facio *ex edicto; ex foedere; ex more; ex fide.*

174. ***Extra*** *adhibetur cum quiete et motu (a) et ponitur pro* ***praeter*** *(b):*

a.

CURT. Legati responderunt esse templum Herculis *extra urbem.*

CAES. Hi sunt *extra provinciam* trans Rhodanum primi.

CIC. *Extra hos cancellos* egredi conabor.

b.

CIC. *Extra ducem* reliqui rapaces.

LIV. Ad haec, quae interrogatus es, responde: *extra ea* cave vocem mittas.

PLAUT. Ille segregat ab se omnes *extra te unam.*

175. Observa illa:

Sum *extra noxam.* — Facis *extra modum; extra causam; extra morem.* — Fuit *extra conspectum; extra pretium; extra ordinem.*

† *176.* ***In*** *quietem significans aut motum in loco vult ablativum (a); item statum referens aut conditionem (b) aut id, quo actio pertinet (c), aut posita pro* ***inter*** *vel* ***apud*** *(d):*

a.

CIC. Haec *in foro* palam Syracusis in ore atque in oculis provinciae gesta sunt.

CIC. *In viridi ripa* inambulabat.

VARRO. Est circa Minervium, qua *in Caelio* monte itur [1].

b.

CIC. Mirificam cepi voluptatem ex tua diligentia, quod *in summis tuis occupationibus* mihi tamen reipublicae statum per te notum esse voluisti.

---

[1] Non *ad montem,* sed *per montem.*

CIC. Hi sunt coloni, qui se *in insperatis pecuniis* sumptuosius jactaverunt.

CIC. Hoc adspersi, ut scires me tamen *in stomacho* solere ridere [1].

c.

CIC. *In hoc homine* nullam accipio excusationem.

SALL. *In hominibus impiis* sceleris obliti de poena disserunt.

CIC. Fortes fueritis *in eo,* quem nemo sit ausus defendere.

d.

CAES. Caesaris nomen *in barbaris* erat obscurius.

CIC. Thales sapientissimus *in septem* fuit.

CIC. Peto, ut eum amplectare, diligas, *in tuis* habeas.

177. Observa illa:

Adesse *in tempore.* — Libri sunt *in manibus.* — Tabulae sunt *in medio.* — Res est *in ambiguo; in integro; in tuto; in aperto; in confesso; in promptu.* — Aderat consul *in toga; in sago.* — Respublica erat *in armis.* — Est *in honore; in timore; in eo ut.*

† *178.* ***In*** *significans motum ad locum vult accusativum (a); item partitionem referens vel distributionem (b) aut mutationem (c) aut finem (d) aut tempus (e) aut posita pro* ***erga*** *vel* ***contra*** *(f):*

a.

CIC. Isocrates philosophiam in urbibus collocavit et *in domos* introduxit.

CIC. Antiocho licuerit remigrare *in domum veterem* e nova.

TAC. Id Smyrnam *in concionem* nuntiatum foret.

b.

CIC. Describebat censores binos *in singulas civitates* Timarchides.

---

[1] H. e.: Quum sum stomachatus.

CAES. Gallia omnis divisa est *in partes tres.*

LIV. Extulit eum plebs sextantibus collatis *in capita.*

c.

CURT. *In sollicitudinem* versa fiducia est.

PLIN. Exusti tunduntur *in farinam.*

STAT. Divûm *in vultus* formanda liquescat massa.

d.

VELL. Somno et cibo *in vitam,* non *in voluptatem* utebatur.

PLAUT. Hos accipias coquos obsoniumque *in nuptias.*

JUST. Sciant se pugnare non spe victoriae, sed *in* mortis *ultionem.*

e.

LIV. Inducias *in triginta annos* impetraverunt.

CAES. Utrum statim necaretur, an *in aliud tempus* reservaretur.

CIC. Video quanta tempestas invidiae nobis, si minus *in praesens,* at *in posteritatem* impendeat.

f.

CIC. Qua nos *in liberos nostros* indulgentia esse debemus.

CIC. *In hominem innocentem* novum supplicii genus excogitavit.

CAES. Nullum officiorum *in quemquam* genus omisit.

179. Observa illa:

Tradere, sumere *in manus.* — Tollere *in humeros.* — Dare, accipere *in deditionem.* — Redire *in orbem.* — Disputare *in utramque partem.* — Crescere *in ventrem.* — Cubare *in latus.* — Laudare *in os.* — Jurare *in verba.* — Saltare *in numerum.* — Desinere *in piscem.*

180. Item illa:

In speciem. — In universum. — In commune. — In posterum. — In antecessum. — In diem. — In dies. — In

totum. — In partem. — In pejus. — In melius. — In rectum. — In obliquum.

181. ***Intra*** *non solum quietem, sed etiam motum significat et refertur ad tempus:*

LIV. Lingones *intra Apenninum* se tenuere.
CIC. Nosse regiones, *intra quas* venias.
LIV. Centum tria oppida *intra paucos dies* in deditionem accepit.

182. Observa illa:

Tenuit se *intra silentium.* — Fecit *intra legem; intra modum; intra finem* juris sui; *intra pudicitiam; intra quintum diem,* quam . . .

183. ***Post*** *opponitur* ***ante*** *et dicitur de loco, tempore et aestimatione:*

CIC. Mamertini crucem fixerunt *post urbem.*
PHAEDR. Qui fert malis auxilium, *post tempus* dolet.
HOR. Neque erat Lydia *post Chloën.*

184. Observa illa:

Post urbem conditam. — Post homines natos. — Post hominum *memoriam. — Post annum tertium,* quam . . .

185. ***Per*** *refertur ad locum (280) et tempus et significat instrumentum et modum:*

CIC. *Per membranas* oculorum cernimus.
LIV. *Per inducias* sepelire caesos.
ULP. *Per corbem* mensuram facere.
CIC. *Per summam fraudem* sextertios appetiit.

186. Observa illa:

Per sommum. — Per otium. — Per jocum. — Per me licet. — Potes *per valetudinem; per aetatem.* — Tollit *per vim; per potestatem.* — Orat *per deos; per dexteram istam.*

— Facit *per speciem* amicitiae; *per causam* fungendae vicis. — *Per vos* stat, ut . . .

187. ***Prae*** *est* ***ante*** *et notat causam et comparationem:*

Liv. *Prae se* agit armentum.
Plaut. *Prae laetitia* lacrymae prosiliunt mihi.
Nep. Videbant, Eumene recepto, omnes *prae illo* parvi futuros.

188. ***Praeter*** *est* ***secus*** *et significat exceptionem et excessum:*

Liv. *Praeter ripam* euntibus Romanis Galli occurrerunt.
Cic. Omnibus sententiis *praeter unam* condemnatus est.
Cic. Unum *praeter ceteros.*

189. Observa illa:

Praeter consuetudinem. — Praeter modum. — Praeter spem. — Praeter aetatem. — Praeter naturam.

190. ***Pro*** *significat non modo favorem, sed etiam vicem (a) et compensationem (b) poniturque pro* ***ante*** *(c),* ***instar*** *(d),* ***secundum*** *(e):*

a.

Cic. Medici inscii *pro salutaribus* mortifera praescribunt.
Liv. Me vera *pro gratis* loqui necessitas cogit.

b.

Plaut. Pecuniam *pro asinis* affert.
Cic. Misimus, qui *pro vectura* solveret.

c.

Cic. Sedens *pro aede* Castoris.
Suet. *Pro foribus* stantem admonuit.

d.

CIC. *Pro damnato mortuoque* fuit.
LIV. Id omnino *pro non dicto* habendum.

e.

NEP. Quantum quisque daret *pro facultatibus* imperat.
CIC. Reliqua *pro tua prudentia* considerabis.

191. Observa illa:

Pro rostris dicere. — Sedere *pro tribunali*. — Facere *pro viribus*. — *Pro rata portione*. — *Pro testimonio*. — *Pro eo* ac . . .

192. ***Prope*** *gradus induit (a, b) et admittit accusativum (a) vel ablativum cum* ***ab*** *(b):*

a.

SUET. Excruciatus doloribus nocte tota *prope lucem* defecit.
LIV. Invenio apud quosdam, idque *propius fidem* est.
CIC. Officium meum esse putavi exercitum habere *proxime hostem*.

b.

CIC. Apud socrum tuam *prope a meis sedibus* sedebas.
CIC. Aliae stellae *propius a sole* spatia conficiunt.
PLIN. *A Sura proxime* est Philiscum oppidum Parthorum.

193. ***Secundum*** *est* ***prope*** *(a), maxime longo tractu (b); item* ***post*** *(c) et significat convenientiam (d) et favorem (e):*

a.

VARRO. Praecidere arbores *secundum terram*.
PLIN. Horologium constitutum in publicum *secundum rostra*.

b.

Cic. Facere iter secundum *mare superum.*
Varro. Facere sepes *secundum amnes.*

c.

Cic. *Secundum te* nihil est mihi amicius solitudine.
Cic. *Secundum ludos* mihi respondere incipias.

d.

Cic. *Secundum naturam* vivere.
Gell. Numerare viginti et quinque asses *secundum duodecim tabulas.*

e.

Cic. Nuntiat populo pontifices *secundum se* decrevisse.
Cic. Multa *secundum nostram causam* disputavit.

† *194.* ***Sub*** *est* ***infra*** *et vult accusativum cum motu (a), ablativum cum quiete (b). Significat saepe tempus (c) et statum (d). Si ponitur pro* ***circiter*** *(e) aut* ***post*** *(f), regit accusativum:*

a.

Cic. Conjecit se *sub scalas* tabernae librariae.
Caes. Exercitus *sub jugum* missus.

b.

Hor. Ingenium ingens *inculto* latet *sub corpore.*
Caes. *Sub pellibus* hiemare constituit.

c.

Liv. Excesserunt urbe *sub adventu* Romanorum.
Caes. Ne *sub ipsa profectione* milites oppidum irrumpant.

d.

Plaut. *Sub* Mercurii *regno* vapulo, non *sub* Jovis.
Liv. *Sub Hannibale magistro* belli artes doctus est.

e.

CIC. *Sub vesperum* portas claudi jussit.
LIV. *Sub idem tempus* legati ad res repetendas missi.

f.

CIC. *Sub eas litteras* statim recitatae sunt tuae.
LIV. *Sub hanc vocem* gemitus multitudinis fuit.

195. Observa illa:

Sub manu. — Sub hasta. — Sub dio. — Sub adspectum. — Sub lucem. — Sub horam tertiam.

† *196.* ***Super*** *cum quiete promiscue accipit accusativum (a) et ablativum (b), cum motu accusativum tantum (c):*

a.

LIV. Pars maxima *super theatrum* consistunt.
HOR. Nomentanus erat *super ipsum,* Porcius infra.

b.

VIRG. Poteras requiescere mecum *fronde super viridi.*
HOR. Ensis *super cervice* pendet.

c.

OV. Illa *super terram* desecto poplite labens.
LIV. Alii *super* aliorum *capita* ruunt.

† *197.* ***Super*** *posita pro* ***de*** *ablativum poscit (a), pro* ***magis quam*** *accusativum (b), item accessionem significans (c):*

a.

CIC. Velim cogites quid agendum nobis sit *super legatione votiva.*
VIRG. Multa *super Priamo* rogitans, super Hectore multa.

b.

SALL. *Super gratiam* atque *pecuniam* invidia facti fuit.
SUET. Famosissima *super ceteras* fuit coena ei data.

c.

Liv. Punicum exercitum *super morbum* fames affecit.

Liv. Adeo, *super maerorem*, pudor quidam fugere colloquia et coetus hominum cogebat.

198. ***Supra*** *cum quiete vel motu vult accusativum (a) et excessum saepe significat (b)*[1]*:*

a.

Plin. Nereides *supra delphinos* sedent.

Cic. Sub terra habitassent neque exiissent *supra terram.*

b.

Phaedr. Duo juvenes *supra humanam formam.*

Liv. Carthaginiensium caesa *supra* viginti millia.

199. ***Subter*** *est idem quod* ***sub*** *et fere habet accusativum:*

Liv. Manu *subter togam* ad mentum exerta.

Liv. Consul equo citato *subter murum* advehitur.

Virg. Omnes ferre juvat *subter densa testudine* casus.

200. ***Tenus*** *postponitur genitivo (a) vel ablativo (b), huic fere singulari, illi plurali:*

a.

Cic. Illi rumores *Cumarum tenus* caluerunt.

Virg. *Crurum tenus* a mento palearia pendent.

Liv. *Corcyrae tenus* ab Aetolia tecta et muri Aetolorum essent.

b.

Cic. Antiochus *Tauro tenus* regnavit.

Virg. Lateri *capulo tenus* abdidit ensem.

Cels. Demittere se in aquam *inguinibus tenus.*

---

[1] „Quinque *supra* triginta": „viginti *supra* centum" et similia dicunt, elegantiae causa, multi et docti; sed auctorem classicum, tametsi diu et multum quaesivi, nondum invenire potui. De ratione autem numerationem efferendi vide exempla, quae sunt sub n. 282, 283, 284. 289.

201. ***Versus*** *accusativo postponitur plerumque:*

Cic. *Brundusium versus* ibat ad Caesarem.
Plin. Corvus evolat in rostra *forum versus.*
Liv. Positi erant *versus aedem* Quirini.

† *202. Praepositiones, quum casum non regunt, induunt adverbiorum naturam. Eae sunt praecipuae* ***ante*** *(a),* ***coram*** *(b),* ***juxta*** *(c),* ***post*** *(d),* ***prope*** *(e),* ***prae*** *(f),* ***propter*** *(g),* ***secus*** *(h),* ***ultra*** *(i):*

a.

Cic. Qui asoti esse velint, philosophi *ante* fiant.
Liv. Praetor biduo *ante* venerat.

b.

Cic. Intueor *coram* haec ornamenta reipublicae.
Ad. Cic. Mihi promiserunt *coram* et absenti scripserunt.

c.

Virg. Furiarum maxima *juxta* accubat.
Caes. Legionem, quae *juxta* constiterat, urgeri ab hoste vidit.

d.

Cic. Initio mea sponte, *post* invitatu tuo mittendum duxi.
Cic. Caedere incipiunt ejus servos, qui *post* erant.

e.

Sall. His genus, eloquentia *prope* aequalia fuerunt.
Cic. Adolescentia voluptates *prope* intuens magis fortasse laetatur.

f.

Plaut. I tu *prae,* virgo.
Plaut. Abi *prae,* Sosia; jam ego sequar.

g.

Cic. Gladium *propter* appositum e vagina eduxit.
Lucr. Araque Panchaeos exhalat *propter* odores.

h.

CIC. Cato fuit summus vir; nemo dicet *secus*.

CIC. Fit obviam Clodio hora fere undecima, aut non multo *secus*.

i.

CIC. Si probabilia dicentur, nihil *ultra* requiratis.

CIC. Oratio scripta elegantissime, ut nihil possit *ultra*.

203. Observa praepositionibus vix adjungi aliam particulam (a) praeter **usque** *(b):*

a.

FLOR. *De sub* ipsis faucibus Italiae.

CIC. *Ex ante* diem tertium nonas *ad pridie* kalendas.

CIC. Comitia Bibulus *in ante* diem decimum quintum kalendas distulit.

b.

CIC. Ii *usque ex* ultima Syria navigarunt.

PLAUT. *Usque ad* diurnam stellam crastinam potabimus.

VIRG. Prospexit *ab usque* Pachyno.

OV. Admorunt oculis *usque sub* ora faces.

CIC. Naevius *trans* Alpes *usque* transfertur.

XI. Constructio conjunctionis.

NOTA. Conjunctiones partim vidisti in adverbiis, quae eas adsciscunt; partim videbis in altero libro, ubi de oratione subjunctiva: ceterarum praecipuas hoc loco summatim persequar.

† *204.* **Et, aut, vel, nec, quam** *jungunt similes formas (a), saepe etiam dissimiles, sive nominum (b) sive adverbiorum (c) sive verborum (d), violata interdum consecutione (e):* **nec** *autem cum* **et** *facile colludit (f):*

a.

PLAUT. Tu *vel suda, vel peri* algu.

LIV. Tribuni plebis *malae rei quam nullius* duces esse malunt.

b.

LIV. Valerium *spectatae virtutis et consularem virum* legerunt.

CIC. Aut *contentione* dicendi *aut lacessitus* fecit.

c.

CURT. Pridie *familiariter et sine arbitris* loquutus est nobiscum.

TER. Tu *vel vi vel clam* fac tradas.

d.

LIV. Injuriae dolor eos *stimulabat, vel quia* gravior ultor rex futurus erat.

CIC. Non tam *vitandi laboris causa, quam quod* tua interesse *arbitrabar.*

e.

PLAUT. Praesertim *quibus nec* quaestus *erat, nec* artem *didicere.*

TER. *Quem* neque *pudet,* nec *metuit* quemquam.

f.

CIC. Ejus filii *nec* vivi probabantur bonis *et* mortui numerum obtinent jure caesorum.

CIC. Intelligis *et* animum ei praesto fuisse *nec* consilium defuisse.

205. Copulativas omitti fas est:

CAES. Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis.

CIC. Regulus in senatum venit, mandata exponit, sententiam ne diceret recusavit.

CIC. Ex cupiditatibus odia, discordiae, bella nascuntur.

206. ***At*** *fere adversatur (a) et servit praeoccupationi (b) et exsecrationi (c):*

a.

CIC. Non placet Antonio consulatus meus, *at* placuit Servilio.

CIC. *At* ego non nego teque in isto convinco non solum audaciae, sed etiam amentiae.

b.

CIC. *At* laetatus sum: quid ergo? in tanta laetitia cunctae civitatis me unum tristem esse oportebat?

CIC. *At* ego suasi: scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse patriae sine suasore non posset.

c.

VIRG. *At* tibi pro scelere dii persolvant grates dignas.

TER. *At* te dii deaeque perdant.

207. ***Dum*** *et* ***ubi*** *indicativo junguntur (a) et subjunctivo (b):*

a.

SALL. *Ubi* justitiâ respublica *crevit*, Carthago ab stirpe interiit.

TER. *Dum* ante ostium *sto*, notus mihi quidam obvius venit.

b.

CIC. *Ubi* semel quis *pejeraverit*, ei credi postea non oportet.

CIC. *Dum* Milo *veniret*, locum relinquere noluit Clodius.

208. ***Neve, neu*** *alteri orationi praeponitur (a) vel utrique (b):*

a.

CIC. Te rogo, ne demittas animum *neve* te obrui sinas.

CAT. Caveto nequam materiam doles *neu* caedas nisi siccam.

b.

VIRG. *Neu* propius tectis taxum sine *neve* rubentes ure foco cancros.

VIRG. *Neve* tibi ad solem vergant vineta cadentem, *neve* inter vites corylum sere.

† 209. ***Ne, num, si*** *simul cum* ***aliquis, aliquo, aliquando*** *contrahuntur in* ***nequis, nequo, nequando*** *(a),* ***numquis, numquo, numquando*** *(b),* ***siquis, siquo, siquando*** *(c); sed non semper (d):*

a.

Cic. Vos adepti estis, *nequem* civem timeretis.

Cat. Villica ad coenam *nequo* eat neque ambulatrix sit.

Cic. Tu eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, concerpito, *nequando* quid emanet.

b.

Cic. Quaestio est, *numquod* officium aliud alio majus sit.

Plaut. *Numquo* foras vocatus est ad coenam?

Cic. Exsistit hoc loco quaestio, *numquando* amici novi veteribus sint anteponendi.

c.

Virg. *Siqua* tui Corydonis habet te cura, venito.

Virg. *Siquando* ad proelia ventum est, incassum furit.

Cic. Eas litteras *siquo* ille misit, in publico proponat velim.

d.

Sen. Horum *si aliquem* interrogaris: quo tu? Non, mehercule, inquiet, scio.

Cic. Mors optanda est, *si aliquo* animum deducit, ubi sit futurus aeternus.

Cic. *Si aliquid* de sua gravitate Pompejus, multum de cupiditate Caesar remisisset.

210. ***Quasi, tamquam*** *verbis dantur (a) et nominibus (b):*

a.

Cic. Medico tria millia jugerum; *quasi* te sanum facere *potuisset.*

Liv. *Tamquam* de regno *dimicaretur*, ita concurrerunt.

b.

CIC. Quantulus vobis videtur? Mihi *quasi pedalis.*

CIC. Odyssea Homeri est *tamquam opus* aliquod Daedali.

211. ***Quamvis*** *jungitur nominibus (a) et verbis indicativi modi (b) vel subjunctivi (c):*

a.

CIC. Res bello gesserat *quamvis* reipublicae *calamitosas,* attamen magnas.

CIC. Si me audissent, *quamvis iniqua pace,* tamen honesta viverent.

b.

VIRG. Pollio amat nostram, *quamvis est* rustica, musam.

NEP. Erat inter eos dignitate regia, *quamvis carebat* nomine.

c.

CIC. *Quamvis* prudens ad cogitandum *sis.*

CIC. *Quamvis* Italiae latebris contentus *essem.*

† *212.* ***Quin,*** *nisi ponitur absolute (a), poscit in primaria negationem (b) aut interrogationem (c) aut extemantem particulam (d) aut ironiam (e) aut quidvis, quod pro negatione haberi possit (f):*

a.

CIC. *Quin* sic attendite, judices.

CURT. *Quin* ulciscimur Graeciam et urbi faces subdimus?

b.

PLAUT. Ni istum cepi, *nulla* causa est, *quin* me condones cruci.

TAC. *Nec* diu anquirendum, *quin* Agrippina claritudine generis anteiret.

c.

SALL. Cui dubium esse potest, *quin* opulentiam istam ex sanguine civium parâris?

PLAUT. Numquae causa est, *quin* viginti minas mihi des?

d.

TER. *Vix* me contineo, *quin* involem in capillum.

SUET. Titi Livii scripta *paulum* abfuit, *quin* Caligula omnibus bibliothecis amoveret.

e.

PLAUT. Mirum *quin* tua me causa faciat Jupiter Philippum regem.

PLAUT. Mirum *quin* ab avo ejus aut proavo acciperem, qui sunt mortui [1].

f.

CIC. De quo quid ego plura commemoro? *quasi vero* dubium sit, *quin* lex sociorum causa constituta sit.

CIC. Dubita, *si potes, quin* ille caedem facturus sit [2].

213. ***Quippe, utpote*** *ponuntur cum relativo (a) ac sine eo (b):*

a.

SALL. Incendium sibi maxime calamitosum putabat, *quippe cui* omnes copiae in usu quotidiano erant.

NEP. A tyranno crudeliter violatus est, *quippe quem* venumdari jussisset.

CIC. Ea nos, *utpote qui* nihil contemnere solemus, non pertimescebamus.

b.

CIC. Haerebat nebulo, *quippe* in his ipsis temporibus dicebatur.

NEP. Pater meus, puerulo me, *utpote* non amplius novem annos nato, in Hispaniam profectus est.

214. ***Quoad*** *cum subjunctivo it et cum indicativo, maxime cum* ***tamdiu:***

---

[1] Q. d.: *Non* est mirum, *quod* ab ejus avo *non* acceperim, quum jam mortuus sit.

[2] Vide appendicem, n. 408.

Cic. *Quoad* perventum *sit* eo, quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium.

Cic. Cato, *quoad vixit,* virtutum laude crevit.

Cic. Dices, quamdiu voles: *tamdiu* autem velle debebis, *quoad* te, quantum proficias, non poenitebit.

† *215.* ***Quod*** *non solum causale est (358), sed etiam servit explanando supposito (a) vel termino (b) sicut etiam* ***ut*** *(c):*

a.

Cic. Nunc me una consolatio sustentat, *quod* tibi, T. Anni, nullum a me amoris officium defuit.

Cic. Illud mihi occurrit, *quod* uxor a Dolabella discessit.

Cic. Accidit perincommode, *quod* eum numquam vidisti.

b.

Cic. Mitto *quod* invidiam subire paratissimus fueris.

Cic. Hoc uno praestamus vel maxime feris, *quod* exprimere dicendo sensa possumus.

Hor. Excepto *quod* non simul esses, cetera laetus.

c.

Nep. Verum est *ut* populus Romanus omnes gentes virtute superarit.

Cic. Neque integrum est *ut* meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam.

Cic. Titus nihil aliud egit, nisi *ut* tu eum bonum virum judicares.

216. ***Quod*** *ponitur etiam pro* ***quantum ad quod:***

Cic. *Quod* scribis te, si velim, ad me venturum: ego vero te istic esse volo.

Cic. *Quod* nos in Italiam venisse gaudes, perpetuo gaudeas velim.

Cic. *Quod* te cum Clodio loqui vult, potes id mea voluntate facere.

217. ***Verum*** *non solum est conjunctio adversativa (a), sed etiam adverbium affirmans (b) et jungitur cum* ***tamen*** *(c) et cum* ***enimvero*** *(d):*

a.

Cic. Ea sunt omnia non a natura, *verum* a magistro.

Plaut. Merito maledicas mihi, si id ita factum est; *verum* haud mentior resque ut facta dico.

b.

Ter. Nihilominus ego hoc faciam. — Facies? — Verum.

Ter. Comites secuti scilicet sunt virginem? — Verum.

c.

Cic. Mala et improba defensione, *verum* aliqua *tamen* uti videtur.

Cic. Consilium capit primo stultum, *verumtamen* clemens.

d.

Sall. Nonne emori per virtutem praestat quam vitam miseram per dedecus amittere? *Verum enimvero* victoria in manu est.

Liv. Nemo pactionem nuptialem facere quemquam coëgisset: *Verum enimvero* lege id prohiberi contumeliosum est.

218. ***Vero*** *et adverbium est (a) et conjunctio, quae postponitur (b):*

a.

Cic. Fuisti saepe, credo, in scholis philosophorum. — *Vero,* ac libenter quidem.

Virg. Egregiam *vero* laudem refertis tuque paterque tuus.

b.

Cic. Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo; de republica *vero* non minus vehemens orator quam bellator fuit.

Nep. Postulabat, ut de praesenti quaestio haberetur; inimici *vero* quiescendum in praesentia decreverunt.

XII. Constructio interjectionis.

219. Interjectiones aliae ponuntur absolute (a), aliis haeret dativus (b), aliis accusativus (c), aliis vocativus (d):

a.

VIRG. *O* tantum libeat humiles habitare casas!
VIRG. *Ah* tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
TER. *Eja* ut elegans est!

b.

PLAUT. *Vae mihi,* quanta de spe decidi!
VIRG. Hei *mihi,* qualis erat!
TER. *Hei misero mihi!*

c.

CIC. *Proh* Deûm hominumque *fidem!*
CIC. *O fallacem* hominum *spem fragilemque fortunam!*
CIC. *Oh me* perditum, oh afflictum!

d.

CIC. Quae enim res unquam, *proh Sancte Jupiter,* in terris est gesta major!
VIRG. Et vos, oh *lauri,* carpam et te proxima myrte!
CIC. *Oh* paterni generis *oblite,* materni vix memor!

CAPUT TERTIUM.

DE AFFECTIONIBUS PARTIUM ORATIONIS.

I. Casus. — II. Voces. — III. Modi. — IV. Tempora.

I. Casus.

1. Nominativus. — 2. Genitivus. — 3. Dativus. — 4. Accusativus. — 5. Vocativus. — 6. Ablativus.

NOTA. Multa de casibus dixi, dicturus plura in altero libro. Reliqua hic summatim persequar.

1. Nominativus.

220. Nominativus raro praeponitur verbis impersonalibus (a) et vix relinquitur pendulus (b):

a.

PLAUT. Et me quidem *haec conditio* non *poenitet.*

TER. Non te *haec pudent?*

PLAUT. *Pluma* non *interest* patronus an cliens improbior sit.

b.

PLAUT. *Hi*, qui dudum conciliaverunt mihi peregrinum Spartanum, nunc his cerebrum uritur.

TER. *Omnes vos,* quibus est objectus labor, omne quod est interea tempus lucro est.

PLAUT. *Ille*, qui astute cavet, diutine uti licet partum bene [1].

* *221. Consequens nominativus, qui ad suppositum referatur, non est solius verbi* **sum,** *sed communis activo (a), passivo (b) ac neutri (c):*

a.

CIC. *Audivi* hoc de parente meo *puer.*

CIC. *Defendi* rempublicam *adolescens,* non *deseram senex.*

b.

CIC. De amicitia alio libro dictum est, qui *inscribitur Laelius.*

JUV. Si fortuna volet, *fies* de rhetore *consul.*

c.

CAES. Omnes munitiones *integrae permanserunt.*

CIC. Perfectus *Epicureus evaserat* [2]

---

[1] Haec sunt comicorum licentiae liberiora.

[2] Observa illam nominativi attractionem: OV. Est via coelo manifesta sereno: *lactea* nomen habet.

2. Genitivus.

† *222. Genitivo non solum significatur possessio (a), sed etiam materia (b), qualitas (c), causa (d), actio (e), passio (f):*

a.

PHAEDR. Pater *deorum* risit.

NEP. *Atheniensium* opes senescunt [1].

b.

SUET. Excisae sunt rupes *durissimi silicis.*

OV. Flumina *nectaris.*

c.

LIV. Quinctius trans Tiberim colebat agrum *quatuor jugerum.*

JUST. Athenienses belli duces deligunt Periclem, *spectatae virtutis* virum.

d.

VIRG. Lacrymas *dilectae* pelle *Creusae.*

VIRG. *Ereptae virginis* ira [2].

e.

CIC. Venio nunc ad *istius,* quemadmodum ipse appellat, *studium.*

CIC. Amor *multitudinis* movetur opinione [3].

f.

CIC. Studio *rerum rusticarum* provectus sum.

VIRG. Animam sub fasce dedere: tantus amor *florum* [4].

223. Observa illa:

Vitium *arrogantiae.* — Arbor *fici.* — Flumen *Muluchae.* — Oppidum *Antiochiae.* — Cadus *vini.* — Monstrum *mulieris.* — Reus *noxae.* — Vulnus *Achillis.*

---

[1] Vide appendicem, n. 414.

[2] H. e.: Ob ereptam virginem.

[3] H. e.: Amor, quo multitudo *amat.*

[4] H. e.: Amor, quo flores *amantur.*

224. Genitivi instar habent adjectiva quaedam derivata:

NEP. Alii *Sullanis,* alii *Cimanis* partibus favebant.

CIC. *Peloponnesias* civitates omnes maritimas esse Dicaearchi tabulis tradidi.

CIC. Quo est ipsum nomen amantius *maternum,* hoc illius matris singulare scelus majore odio dignum ducetis.

† *225. Sunt genitivi pretium significantes:* ***tanti, quanti; magni, parvi, pluris, minoris*** *(a); item* ***assis, flocci, nauci*** *etc. (b). Sed dicimus etiam* ***magno, parvo*** *etc. (c);* ***asse, flocco*** *etc. (d).*

a.

CIC. Emit homo cupidus *tanti, quanti* Pythius voluit.

CIC. Vendo meum triticum non *pluris* quam ceteri; fortasse etiam *minoris.*

PHAEDR. *Majoris* veneunt alapae.

b.

PLAUT. Tu istos minutos cave deos *flocci* feceris.

CAT. Rumores senum *unius* aestimemus *assis.*

TAC. Neque fas neque fidem *pensi* habebat.

c.

SEN. Non potest *parvo* res magna constare.

CIC. Caelius conducit non *magno* domum.

PLAUT. Quanti emisti? — *Minumo.*

d.

PLAUT. Illic habebit *flocco* jam homo lumbos meos.

CAT. Quod non opus est, *asse* carum est.

NAEV. Ejus noctem *nauco* ducere.

† *226. Pretium vero definitum ponitur ablativo (a), indefinitum etiam, si accedat substantivum (b):*

a.

Cic. Praetore Verre, *ternis denariis* modius tritici fuit.
Plin. *Viginti talentis* unam orationem Isocrates vendidit.
Liv. *Sextante* sal Romae et per totam Italiam erat.

b.

Cic. Invideo magistro tuo, qui te *tanta mercede* nihil sapere docuit.
Val. Max. *Magno* ubique *pretio* virtus aestimatur.
Caes. Vectigalia *parvo pretio* redempta habere.

3. Dativus.

* *227. Dativo id notatur, in cujus commodum (a) aut incommodum (b) aliquid fit:*

a.

Cic. Roscius praedia coluit *aliis,* non *sibi.*
Cic. Domus pulchra *dominis* aedificatur, non *muribus.*
Cic. Verres hunc hominem *Veneri* absolvit, *sibi* condemnat.

b.

Plaut. *Mihi* dolebit, non *tibi,* siquid stulte fecero.
Naev. *Illi* perniciem dabo, *mihi* maerores.
Plaut. *Nostris* proterve *floribus* facit injuriam.

228. Dativus ponitur pro possessivo:

Plaut. *Tibi* ego an tu *mihi* servus es?[1]
Virg. Ah *tibi* ne teneras glacies secet aspera *plantas!*
Virg. Nescio quis oculus *mihi* fascinat *agnos.*

229. Est dativus finalis (a) et agens etiam (b):

a.

Nep. Pausanias venit Atticis *auxilio.*

---

[1] II. e.: *Tuus* ego an tu *meus* servus es?

HIRT. Nec vero Alexandriae fuit quisquam, quin altissima loca *spectaculo* quaereret.

TER. Omnia mea bona *doti* dixi puellae.

b.

CIC. Gerendus est *tibi* mos adolescentibus.

OV. Barbarus hic ego sum, quia non intelligor *ulli*.

CIC. *Cui* non sunt auditae Demosthenis vigiliae?

230. Fit dativi attractio in praedicandis cognominibus (a); sed non semper (b):

a.

LIV. Puero ab inopia *Egerio* inditum nomen est.

LIV. Consules leges decemvirales, quibus *tabulis duodecim* est nomen, in aes inciderunt.

HOR. Desipiunt, qui tibi nomen *insano* posuerunt.

HOR. Tarquinius, cui cognomen *Superbo* ex moribus datum est.

b.

CIC. Est fons aquae dulcis, cui nomen *Arethusa* est.

PLAUT. Est mihi *Menaechmus* nomen.

VELL. Metellus, cui ex virtute *Macedonici* nomen inditum.

231. ***Mihi, tibi, sibi*** *aliquando redundant:*

CIC. Tu *mihi* istius audaciam defendis?

TER. Scin', ubi nunc sit *tibi* tua Bacchis?

TER. Suo *sibi* hunc gladio jugulo.

4. Accusativus.

† *232. Accusativus significans partem datur verbis (a), participiis (b) et adjectivis (c):*

a.

VIRG. *Caput* ante aras Phrygio *velamur* amictu.

OV. *Ingenium mollimur* ab arte.

VIRG. *Expleri mentem* nequit ardescitque tuendo.

b.

HOR. Ait miles multo jam *fractus membra* labore.
VIRG. Non illa colo *femineas assueta manus.*
HOR. *Coronatus nitentes* malobathro Syrio *capillos.*

c.

VIRG. *Omnia* Mercurio *similis vocemque coloremque.*
VIRG. *Nuda genu* nodoque *sinus collecta fluentes.*
SIL. ITAL. *Nudus caput* inire pugnas.

233. In soluta etiam oratione, maxime apud historicos:

POMP. MELA. Satarchae specus habitant, nisi qua vident, etiam *ora* vestiti.
TAC. *Frontem tergaque* tuti.
TAC. Militum pars onusta vulneribus *tergum.*

† *234. Pro quo accusativo ponitur vulgo ablativus:*

SALL. Antonius *pedibus* aeger exercitum Petrejo permittit.
CIC. Sunt quidam aut *lingua* haesitantes aut *voce* absoni.
CIC. Alii mutati *voluntate* sunt.

235. Accusativo fit quaedam rei determinatio (a), quae saepius fit ablativo (b):

a.

CAES. Suevi *maximam partem* lacte atque pecore vivunt.
SUET. Nunquam se *illud* horae publico commisit.
SALL. Bocchus praeter nomen *cetera* ignarus populi Romani.

b.

NEP. Agesilaus fuit claudus *altero pede.*
NEP. Lacedaemoniis duo erant reges *nomine* magis quam *imperio.*
NEP. Mardonius *natione* Medus fugatus est.

236. Accedit accusativus significans qualitatem:

VARRO. Porticus avibus *omne genus* oppletae sunt.

LIV. Liberorum capitum *virile secus* decem millia capta sunt.

CIC. Orationes aut aliquid *id genus* scribere.

237. Accusativus servit etiam exclamando:

PLAUT. Bene *me;* bene *nostram* etiam *Stephanium!*

CIC. *Praeclaros quatuordecim ordines!*

PLAUT. Ita *me* probri *argutam* a viro meo?

238. Sunt accusativi quidam communes, qui ubivis ponuntur:

LIV. ANDRON. Obsecro te, Anchiale, matri *nequid* tuae adversus sis.

PLAUT. Neque *quae* recte faciunt culpo, neque *quae* delinquunt amo.

CAT. *Idne* irascimini, *siquid* superbior est quam vos?

PLAUT. Id agam, *quod* missus sum ad te.

5. Vocativus.

239. Ponitur vocativus substantivi (a) vel adjectivi (b) vel utriusque simul (c), saepe cum interjectione (d):

a.

CIC. Ubi tua, *M. Tulli,* quae plurimis saluti fuit, vox ac defensio?

PERS. Hunc, *Macrine,* diem numera meliore lapillo!

b.

VIRG. Dabis, *improbe,* poenas.

PLAUT. Obfirmastin' occultare, quo te immittas, *pessume?*

c.

CIC. Cura, *mi carissime frater,* ut valeas.

CIC. Jam vos, *Albani tumuli* atque *luci,* testor.

d.

PLAUT. *Heus vos, pueri,* quid istic agitis?

CAT. Lugete, *oh Veneres Cupidinesque.*

240. Pro vocativo ponitur nominativus (a) et hic pro illo per attractionem (b):

a.

VIRG. Corniger Hesperidum *fluvius*, regnator aquarum, adsis oh tantum.

LIV. Audi tu, *populus Albanus!*

b.

VIRG. Quibus, Hector, ab oris *exspectate* venis?

241. Poetae vocativo abutuntur:

HOR. Ora manusque tua lavimus, *Feronia,* lympha.

OV. Optarem sumere poenas sive tuas, *Perseu, Daedale,* sive tuas.

OV. Capit ille coronam, quae possit crines, *Phoebe,* decere tuos [1].

6. Ablativus.

† *242. Ablativus significat originem (a), cui saepe adjungitur praepositio (b):*

a.

CAES. *Amplissima familia* nati adolescentes.

FLOR. Hunc *Paulo* procreatum in decus gentis assumpserat.

b.

CAES. Belgas esse ortos *ab Germanis.*

LIV. Ne se oriundos *ex Etruscis* exsulare pateretur.

† *243. Ablativo significatur qualitas (a) et excessus (b):*

a.

CIC. Non poteram Cn. Pompejum, *praestantissima virtute* civem, timidum suspicari.

LIV. Missile telum erat Saguntinis *hastili abiegno,* cetera *tereti,* praeter quam ad extremum.

VIRG. *Quinquaginta hiatibus* hydra intus habet sedem.

---

[1] H. e.: Quae possit decere crines Phoebi.

b.

CIC. Hibernia *dimidio* minor est quam Britannia.
CURT. Turres *denis pedibus* quam murus altiores.
CIC. Scipio omnes, *sale facetiis*que superabat.

† 244. *Ablativo significatur modus (a), cui saepe adjungitur* **cum** *(b):*

a.

CIC. Stellae circos suos conficiunt *celeritate mirabili.*
CAT. Si rotas voles facere, tardius ducentur, sed *minore labore.*
CAES. Germani saepe ex equis desiliunt ac *pedibus* proeliantur.

b.

LIV. Inde *cum silentio* in forum ducti.
CIC. Attente *bonaque cum venia* verba mea audiatis.
LIV. Romani Horatium accipiunt *magno cum gaudio.*

† 245. *Ablativo significatur causa (a) et instrumentum (b):*

a.

CIC. Tu *imprudentia* laberis.
CAES. Vires eum *lassitudine* defecissent.
CIC. Juris civilis *studio* multum operae dabam Q. Scaevolae.

b.

CIC. Caedebatur *virgis* civis Romanus.
PLAUT. *Sagitta* Cupido cor meum transfixit.
PLAUT. *Vino* et *piscatu* vitam colitis.

II. Voces verbi.

1. Activa. — 2. Passiva.

1. Vox activa.

† 246. *Actio activorum recipitur a termino (a), neutrorum aut nulla est (b) aut non recipitur (c):*

a.

Cic. Tu invita *mulieres,* ego accivero *pueros.*
Sall. *Plerasque res* Fortuna ex libidine sua *agitat.*
Plaut. *Cedo aquam* manibus.

b.

Ov. Splendidior quam cetera sidera *fulget* Lucifer.
Virg. Strata *jacent* sua quaeque sub arbore poma.
Cic. Duo signa, quae nunc ad impluvium tuum *stant,* multos annos ad valvas Junonis Samiae *steterunt.*

c.

Nep. Plus irae suae quam utilitati communi *paruit.*
Cic. Luci claro palam in foro *saltet.*
Hor. *Incedis* per ignes suppositos cineri doloso.

247. Multa, nisi ex usu, nescias activa sint an neutra (a); immo sunt quaedam ancipiti natura, quae modo activa sunt (b), modo neutra (c):

a.

Hor. *Multos* castra *juvant* bellaque matribus detestata.
Quint. Parasitus sic defenditur, ut non *homini patrocinemur,* sed *crimini.*
Sall. Nec *mihi* vestra decreta *auxiliantur.*

b.

Plaut. Jura te non *nociturum* esse *hominem.*
Virg. Pastor Corydon *ardebat Alexin.*
Plaut. Hanc vobis *rem disputabo.*

c.

Cic. Non licet *nocere alteri.*
Hor. Tua res agitur, paries cum proximus *ardet.*
Cic. De singulis sententiis breviter *disputo.*

248. Neutra accusativum sortiuntur cognatae significationis (a), aut qui regatur ab adjuncta verbo praepositione (b), id quod activis et passivis commune est (c):

a.

Ov. Nunc *tertiam vivo aetatem.*
Plaut. Tuis *servivi servitutem* imperiis.
Plaut. Istam ego *pugnabo pugnam.*

b.

Gell. Universi *me unum ante*statis.
Ov. Fremebundus *ob*ambulat *Aetnam.*
Cic. Stella Veneris Lucifer dicitur, quum *ante*greditur *solem.*

c.

Caes. Belgae *Rhenum* antiquitus *tra*ducti sunt.
Cic. Eos Pompejus *praesidia sua circum*duxit.
Virg. Vivo *praeter*vehor *ostia* saxo Pantagiae.

2. Vox passiva.

† 249. *Passiva neutrorum aut impersonalis est (a) aut concordat cognato (b); personaliter vix ponitur (c):*

a.

Cic. *Venitur* in antiquam silvam et ibi *considitur.*
Plaut. Quid hic agitur? — *Statur* ad hunc modum.
Vell. Ubi semel recto *deerratum est*, in praeceps *pervenitur.*

b.

Ov. Tertia *vivitur aetas.*
Cic. *Pugna* acerrime *pugnata est.*
Sall. Quae negotia magis quam *proelium* male *pugnatum* regem terrebant.

c.

Hor. *Ego* cur *invideor?*
Ov. *Noctes vigilantur* amarae.
Ov. Largaque provenit *cessatis* messis in *arvis*[1].

[1] Vide appendicem, n. 416.

† 250. *Vox passiva (a) etiam neutrorum (b) gaudet ablativo cum* **ab**, *quae praepositio inanimis non semper demitur (c):*

a.

Cic. Sextius *ab indice Naevio* de ambitu *postulatus est.*
Cic. *Deseremur* potius *a republica* quam *a re familiari.*

b.

Caes. *A Cotta* primisque ordinibus acriter *resistebatur.*
Cic. *Occurritur* nobis *a viris doctis.*
Vell. Quum in captivos *saeviretur a Germanis*, praeclari facinoris fuit Caelius.

c.

Ov. *Assiduo* vomer *temuatur ab usu.*
Ov. Pisces *capiuntur ab hamis.*
Cic. *Suo* quisque *studio* maxime *ducitur.*

251. Aliqua deponentium passive usurpantur:

Tac. Sententiam expromit, qua *hortaretur* Claudius despondere Octaviam Domitio.
Cic. Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, *aspernatur.*
Plaut. Non aetate, verum ingenio *adipiscitur* sapientia.

252. Sunt passiva cum forma activa **vapulo, veneo, fio** *(a), quibus accedunt* **exsulo, liceo, salveo** *(b), quae magis sunt neutra:*

a.

Cic. Malo *a parentibus vapulare* quam assentatoribus aures patefacere.
Quint. Fabricius respondit a cive se spoliari malle quam *ab hoste venire.*
Cic. Quanti se quisque fecerit, tanti *fiat ab amicis.*

b.

Cic. Romam in exsilium venisset, cui Romae *exsulare* jus esset.

CIC. De Drusi hortis, quanti *licuisse* tu scribis, id ego quoque audieram.

HOR. Vultejum Philippus *salvere* jubet.

253. Vox passiva fungitur vice mediae ut apud Graecos:

HOR. Oh ego laevus, qui *purgor bilem* sub verni temporis horam.

CAECIL. Ego *illud exigor portorium.*

LIV. Omnes voluimus, *quod arguimur.*

III. Modi verbi.

1. Indicativus. — 2. Subjunctivus. — 3. Imperativus. — 4. Infinitivus.

1. Modus indicativus.

254. Indicativus (a), etiam cum particula (b), dat sensum absolutum, sed habet etiam hypotheticum (c):

a.

SALL. Urbem Romam *condidere* atque *habuere* initio Trojani.

b.

SALL. Idcirco respublica disjecta est, *quo* te custodem *habebat.*

PLAUT. Fuit olim, *quasi* nunc ego *sum,* senex.

VIRG. Pollio amat nostram, *quamvis est* rustica, musam.

c.

MART. Si non errasset, *fecerat* illa minus.

HOR. Ne faciam, inquis, omnino versus? — Ajo. — Peream male, si non optimum *erat.*

CIC. Quanto melius *fuerat* promissum patris non esse servatum [1].

255. Sed talia subjunctivo passim efferuntur:

SALL. Memorare *possem,* quibus in locis maximas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit.

---

[1] II. e.: Quanto melius *fuisset.*

2. Modus subjunctivus.

† 256. *Subjunctivo significatur sensus conditionalis (a), dubitativus (b), suasivus (c), optativus (d), concessivus (e), potentialis (f):*

a.

Hor. Decies centena *dedisses* huic parco, quinque diebus nil erat in loculis.

Cic. *Roges* me, quid aut quale sit Deus, auctore utar Simonide.

Virg. Tu quoque magnam partem opere in tanto, *sineret* dolor, Icare, haberes.

b.

Curt. Nullam virtutem regis magis quam celeritatem *laudaverim.*

Cic. Te consulem *putem,* quum tu me non putes senatorem?

Cic. Quid non sit citius *dixerim,* quam quid sit.

c.

Caes. Sin bello persequi perseveraret, *reminisceretur* pristinae virtutis Helvetiorum.

Plaut. Non potest triobolum hinc abesse; proin, vel *ajas* vel *neges.*

Cic. Quodsi meis incommodis laetabantur, urbis tamen periculo *commoverentur.*

d.

Cic. *Valeant* cives mei, *sint* incolumes, *sint* beati.

Sen. Dii illas deaeque *perdant.*

Cic. Quod dii omen *averterint.*

e.

Cic. Milo de Clodii morte unde quaesivit? *Quaesierit* sane; videte, quid vobis largiar.

Liv. Ne *aequaveritis* Hannibali Philippum; Pyrrho certe aequabitis.

Cic. Pervellere te *potuerit,* non potuit certe vires frangere.

f.

Cic. Te ut ulla res *frangat?* Tu ut unquam te *corrigas?*

Sall. Confecto proelio *cerneres*, quanta audacia fuisset in exercitu Catilinae.

Virg. Unus homo tantas strages impune *ediderit?*

257. Subjunctivus attrahitur a priore:

Cic. Tantum valuit error, ut ea fieri apud inferos *fingerent*, quae sine corporibus nec fieri *possint* nec intelligi.

Cic. Siquis multas gentes collustrare possit; *videat* bovem quendam, quem Apim Aegyptii *nominent.*

Cic. Respondit se meruisse, ut ei victus publice *praeberetur*, qui honos apud Graecos maximus *haberetur.*

258. Ponitur subjunctivus pro indicativo (a) et hic pro illo (b):

a.

Liv. Occurrebant campi Tiberis et hoc caelum, sub quo natus *essem.*

Cic. At etiam litteras, quas me sibi misisse *diceret*, recitavit.

Cic. Antiochus, qui animo puerili *esset*, nihil suspicatus est.

b.

Cic. Perturbationes animorum *poteram*[1] ego morbos appellare; sed non conveniret ad omnia.

Cic. Sint sane inimicitiae; quae esse non *debebant.*

Liv. *Vincebat* paucitas, ni Vejens in verticem collis evasisset.

3. Modus imperativus.

259. Promiscue utuntur breviori forma (a) et longiori (b), cum negatione (c) ac sine ea (a, b):

a.

Ter. *Cave* istuc verbum ex te audiam.

---

[1] H. e.: *Possem* (255).

Ov. *Pascere* crudelis nostro, Latona, dolore.

Cic. Quaeso, diligenter *attendite.*

b.

Plaut. Periculum ex aliis *facito*, quid tibi ex usu sit.

Cic. Rem vobis proponam: vos eam suo, non nominis pondere *penditote.*

Hor. Ter uncti *trananto* Tiberim, somno quibus est opus alto.

c.

Apud Cic. Hominem mortuum in urbe *ne sepelito neve urito.*

Virg. *Ne fugite* hospitium *neve ignorate* Latinos.

Plaut. *Ne jura;* satis credo.

260. Ex altero verbo arguitur tempus imperativi:

Cic. Memoriter *respondeto* ad ea, quae ex te *rogavero.*

Cic. Etiamsi quid scribas non *habebis, scribito* tamen.

Cic. Quum valetudinis rationem *habueris, habeto* etiam navigationis [1].

261. Pro imperativo ponitur futurum indicativi (a), item praesens (b) vel futurum subjunctivi (c):

a.

Cic. *Valebis* meque ante brumam *exspectabis.*

Cic. Siquid acciderit novi, *facies,* ut sciam.

Cic. Tu non *cessabis* et ea, quae habes instituta, *perpolies* nosque *amabis.*

b.

Ter. Si certum est facere, *facias,* sed ne post *conferas* culpam in me.

Cic. Atticae, quoniam hilarula est, meis verbis salutem *des.*

---

[1] Atque hoc si tibi placet; nam fortasse verius est imperativum semper esse futurum.

c.

Cic. Huic nullam partem existimationis tuae *credideris.*
Liv. Ne tot annorum felicitatem in unius horae *dederis* discrimen.

262. ***Noli*** *ponitur periphrastice (a), item* ***cura, fac, cave*** *(b):*

a.

Cic. *Noli putare* quemquam uberiorem ad dicendum fuisse.
Cic. *Nolite* fortunam *convertere* in culpam.
Cic. Si insidias fieri libertati vestrae intelligetis, *nolite dubitare* eam defendere[1].

b.

Cic. *Cura ut* quam primum *venias.*
Cic. *Fac ne*quid aliud *cures.*
Cic. *Cave festines* aut committas, ut aeger naviges[2].

4. Modus infinitivus.

† *263. Infinitivus ponitur pro supposito (a) aut praedicato (b) aut termino (c) aut casibus quibusvis (d):*

a.

Sen. *Habere* eripitur; *habuisse* numquam.
Plaut. Simul *flare sorbereque* haud factu facile est.
Cic. Est operae pretium diligentiam majorum *recordari.*

b.

Liv. *Ostentare* hoc est, non *gerere bellum.*
Val. Max. Cujus non dimicare *vincere* fuit.
Cic. Loquor de docto homine, cui *vivere* est cogitare.

c.

Cat. Pleraque Gallia duas res persequitur: rem militarem et argute *loqui.*

---

[1] H. e.: Ne dubitate. [2] H. e.: Ne festines.

Liv. Occupavit Scipio Padum *trajicere.*

Cic. Carere significat *egere* eo quod habere velis.

d.

Cic. Inter optime *valere* et gravissime *aegrotare* nihil dicunt interesse.

Plaut. Nam quid modi futurum est eum *quaerere?*

Cic. Nulla est ratio *amittere* ejusmodi occasionem.

264. Infinitivus jungitur substantivis (a) et adjectivis (b), praesertim apud poëtas (c):

a.

Liv. *Tempus* esse ajunt aut pacem *componi* aut bellum naviter *geri.*

Caes. *Consilium* cepit fortunas *evertere.*

Cic. Tibi non sim *auctor*, si Pompejus Italiam relinquit, te quoque *profugere.*

b.

Curt. Barbari hostem *depulisse contenti* non institere cedentibus.

Sil. Ital. *Primus inire* manus, *postremus ponere* Martem.

Hor. Imberbis juvenis *cereus* in vitium *flecti* et amata *relinquere pernix.*

c.

Tibull. Circe *apta* cantu veteres *mutare* figuras.

Hor. Fons rivo *dare* nomen *idoneus.*

Ov. Fabula nota quidem, sed non *indigna referri.*

† *265. Pro infinito damus saepe adjectivis, maxime* ***dignus*** *(a), subjunctivum cum relativo (b) vel particula* ***ut*** *(c):*

a.

Cic. Hominem officiosum cognosces et *dignum, qui* a te diligatur.

Sen. *Digni* illi sunt, *quorum* virtutes tibi placeant.

Plaut. Nequior est nemo neque *indignior, cui* dii benefaciant.

CIC. *Digni* sumus, *quos* habeas consilii tui participes.

CIC. Oh rem *dignam,* in *qua* non modo docti, sed etiam agrestes erubescant [1].

b.

CAES. L. Vibullium pro suis beneficiis Caesar judicaverat *idoneum, quem* cum mandatis ad Pompejum mitteret.

CIC. Catonem induxi disputantem, quia nulla videbatur *aptior* persona, *quae* de illa aetate loqueretur.

PLAUT. Itane *idoneus* tibi videor esse, *quem* tam aperte fallere incipias?

c.

CIC. Si senator pretio apud istum fieret *idoneus, ut vinceret,* factus est.

LIV. *Indigni, ut* a vobis *redimeremur,* visi sumus.

PLAUT. Egone architectus? *dignus* non sum prae te, *ut figam* palum in parietem.

IV. Tempora verbi.

266. Praesens ponitur pro futuro (a) aut praeterito (b):

a.

PLAUT. Quam mox *navigo* in Ephesum?

TER. Hoc prius introducam; post continuo *exeo.*

CAES. Re nuntiata, quae imperarentur, *facere* dixerunt [2].

b.

CIC. Atque haec non cupiditate aliqua *scribit* inductus, sed consilio, ne granum ex Sicilia nullum haberemus.

ENN. *Suadent* Saturno, ut de regno suo non concedat.

CAES. Repente post tergum equitatus *cernitur.*

267. Perfectum ponitur pro tempore indefinito:

VIRG. Veluti qui sentibus anguem *pressit* humi nitens trepidusque repente *refugit.*

---

[1] Nota varios casus relativi. [2] H. e.: Se facturos esse.

Hor. Non aeris acerbus *deduxit* corpore febres.
Sen. Magni artificis est *clausisse* totum in exiguo.

268. Pro perfecto ponitur plusquamperfectum (a), futurum autem perfectum pro imperfecto (b):

a.

Ter. Postquam *audierat* non datum iri filio uxorem, numquam cuiquam nostrum verba fecit.

b.

Cic. Libenter tibi, ut de eo disseras, *concessero.*
Cic. Tu invita mulieres, ego *accivero* pueros.
Liv. Virginius *viderit* de familia quid agat.

269. Inde oritur inconstantia quaedam temporum haud improbabilis:

Plaut. In scapham *insiluimus*, quia *videmus* ad saxa navem ferrier [1].
Cic. *Dicebat* melius quam *scripsit* Hortensius.
Cic. Servis suis Rubrius *imperat*, ut januam *clauderent.*
Cic. Quum *venisset* ad vada Volaterrana, *videt* familiarem Naevii.

269 a. Imperfectum non solum cum perfecto congreditur (a), sed etiam cum praesente historico (b) et, pro varia relatione, cum ipso imperfecto (c) et cum plusquamperfecto (d):

a.

Liv. Cum omni equitatu profectus, id quod *quaerebat,* hostem *excivit.*
Sall. Quod plerique civile bellum *exoptabant,* opprimendae reipublicae consilium *cepit.*

b.

Sall. In unum omnes *convocat,* quibus plurimum audaciae *inerat.*

---

[1] H. e.: Quia *vidimus.*

Liv. Tolumnius, quamquam suorum magis *placebant* consilia, postero die se pugnaturum *edicit.*

c.

Cic. Quanto ille plura *miscebat,* tanto hic magis in dies *convalescebat.*

Sall. Omnes, quos flagitium *exagitabat,* Catilinae familiares *erant.*

d.

Cic. Quicumque *accesserant* ad Siciliam paulo pleniores, eos Sertorianos milites esse *dicebat.*

Sall. Ubi eorum famam *attriverat,* majora alia *imperabat*[1].

CAPUT QUARTUM.

DE QUIBUSDAM RELATIONIBUS.

I. Relatio loci. — II. Relatio temporis. — III. Relatio spatii.

I. Relatio loci.

1. Locus *ubi.* — 2. Locus *unde.* — 3. Locus *quo.* — 4. Locus *qua.* — 5. Locus *quorsum.*

1. Locus ubi.

* *270. Locus* ***ubi*** *effertur ablativo cum* ***in:***

Cic. Terrae motus *in Gallia* totaque *in Italia* facti sunt.

Cic. Navis *in Cajeta* parata est nobis.

Cic. Tulit de caede, quae *in Appia via* facta est.

Nep. Alcibiades *in domo sua* facere mysteria dicebatur.

Cic. Magis illos, qui *in bello* occiderunt.

Varro. Ut manipulum quemque subsecuerunt, ponunt *in terra*[2].

---

[1] *Pingebat, excudebat, inveniebat* etc. pro *pinxit, excudit, invenit* etc., quae suis operibus inscribunt aliqui, eleganter dici opinantur; sed qua probari possit auctoritate, tametsi diu vestigavi, nullam reperi.

[2] Observa provincias, urbes, appellativa.

† 271. *Praepositio urbibus demi solet (a); quae, si fuerint primae alteriusve declinationis numerique singularis, genitivo plerumque efferuntur (b):*

a.

Cic. *Babylone* paucis post diebus Alexander mortuus est.
Cic. Lentulum nostrum scis *Puteolis* esse.
Cic. Unum objicitur nobis natum esse *Gadibus.*

b.

Cic. Accepi litteras tuas datas *Placentiae.*
Plaut. Nullus est *Ephesi,* quin sciat.
Cic. Romam veniret, cui *Romae* exsulare jus esset.

† 272. *Pro ablativo fere utimur genitivis* ***humi, belli, militiae, domi*** *(a), nisi eis accesserit adjectivum (b):*

a.

Cic. Theodori nihil refert *humine* an sublime putrescat.
Cic. Magnae res a dictatoribus *belli* gerebantur[1].
Sall. Plerosque *militiae,* paucos fama cognitos accivit.
Ter. Ego *domi* ero, siquid me voles.

b.

Liv. Ego fratresque mei *Aetolico bello* pro vobis arma tulimus.
Sall. Vestitus oleastro ac murteto, quae *humo arenosa* gignuntur.
Cael. Post tertium diem *in domo lucida* locandus est.

273. *Pro* ***humi*** *dicunt etiam* ***terrae:***

Ov. Procubuit *terrae* mactati more juvenci.
Virg. Fusus erat *terrae* frumenti pauper acerbus.
Liv. Sacra in rerum nostrarum ruina *terrae* celavimus.

274. *Accedente possessivo (a) aut genitivo (b), dicitur* ***domi*** *vel* ***in domo:***

[1] *In bello, in domo,* v. n. 270.

a.

PLIN. Ego in villas ejus saepe secessi, ille *in domo mea* saepe convaluit.

CIC. Nonne mavis sine periculo *domi tuae* esse quam cum periculo *alienae?*[1]

b.

CIC. Qui tibi venit in mentem te *domi Lentuli* esse educatum?

CIC. Quum *in domo Caesaris* quondam vir unus fuerit.

275. Dicimus ***ruri*** *vel* ***rure*** *(a), etiamsi accedat adjectivum (b):*

a.

CIC. Forte evenit, ut *ruri* in Privernate essemus.

CIC. Filium *rure* habitare jussit.

b.

HOR. Nugaris *rure paterno.*

OV. *Rure* dapes parat ille *suo.*

2. Locus unde.

† *276. Locus* ***unde*** *significatur ablativo cum* ***ex*** *(a), quae praepositio urbibus passim demitur (b) et appellativis* ***rure, domo*** *(c):*

a.

CIC. *E Gallia* non discessit.

LIV. Interim *ab Roma* legatos venisse nuntiatum est.

CAES. *Ex castris* proficiscuntur.

CIC. Ad quem *e domo* Caesaris tam multa delata sunt.

b.

CIC. Accepi *Roma* sine tua epistola fasciculum litterarum.

CIC. Hac super re scribam ad te *Rhegio.*

PLAUT. Ecquam tu advexisti ancillam *Rhodo?*

---

[1] *Alienae* singulare est.

c.

TER. Video *rure* redeuntem senem.
PLAUT. Biennium jam factum est, postquam abii *domo*.
ENN. Numquam hera *domo* effert pedem.

277. Poetae (a) quam ceteri (b) saepius praepositionem ablativo demunt:

a.

VIRG. Nec posse *Italia* Teucrorum avertere regem.
HOR. Ut quum *carceribus* missos rapit ungula currus.
TIB. *Etruscis* manat quae *fontibus* unda.

b.

TAC. Dein Piso abire *Syria* statuit.
LIV. Inde eques pedesque certatim *portis* ruunt.
TAC. In ipsa curia depromptum *sinu* venenum hausit.

3. Locus quo.

† *278. Locus* **quo** *effertur accusativo cum* **ad** *vel* **in** *(a); quae praepositio urbibus (b) passim demitur et substantivis* **rus, domum** *(c), nisi eis epithetum accessit (d):*

a.

CAES. *In Illyricum* profectus est.
CIC. Miles profectus sum *ad Capuam* quintoque anno post *ad Tarentum*.
JUST. *Ad portum* uno agmine profecturae venerunt.
NEP. Ut non ex vita, sed ex domo *in domum* videretur migrare.
APUL. Ille novitium famulum trahebat *ad domum*.
POMP. MELA. Satarchae demersis *in humum* sedibus specus habitant.

b.

SALL. Calpurnius *Romam* ad magistratus rogandos proficiscitur.

Cic. Ex hoc loco proficiscitur *Puteolos* stadia triginta.
Cic. Litteras *Messanam* dedit.

c.

Cic. Ut Hortensius *domum* reducebatur, fit obviam casu C. Curio.
Enn. Quo me vertam? *domumne* ad Peliae filias?
Ter. Ego *rus* ibo atque ibi manebo.

d.

Cic. Haud mediocriter de communi quidquid poterat *in privatam domum* sevocabat.
Liv. Jam vos dilapsi domos et *in rura vestra* eritis.
Ter. *In domum meretriciam* deducar.
Cic. *In Chelidonis domum* praeturam tuam contulisti.

279. Provinciis et appellativis praepositio vix demitur:

Virg. *Italiam* fato profugus *Laviniaque* venit *littora.*
Virg. Devenere *locos* laetos et amoena *virecta.*
Virg. At nos hinc alii *sitientes* ibimus *Afros,* pars *Scythiam* et *rapidum* Cretae veniemus *Oaxem.*

4. Locus qua.

† *280. Locus* **qua,** *sive provincia (a) sive urbs (b) sive appellativum nomen (c), effertur ablativo vel accusativo cum* **per:**

a.

Cic. Nunc *tota Asia* vagatur, volitat ut rex.
Liv. Ipse terrestri *per Hispaniam Galliasque* itinere Italiam peteret.
Caes. Parthus intulit bellum *per Armeniam.*

b.

Cic. Iter *Laodicea* faciebam, quum has litteras dabam.
Nep. Lacedaemonius iter *per Thebas* fecit.

PLIN. Consul provinciam Baeticam *per Ticinum* est petiturus.

c.

CIC. Mihi a C. Verre insidiae *terra marique* factae sunt.

CAES. *Per mare* navibus expositi in nostros impetum fecerunt.

PLAUT. Quid hoc negotii est, quod homines fabulantur *per vias?*

5. Locus quorsum.

281. Locus ***quorsum*** *effertur accusativo cum* ***versus ad*** *(a);* ***ad*** *saepe omittitur (b):*

a.

CAES. Labienum *ad Oceanum versus* proficisci jubet.

AUCT. BELLI HISP. Equites *ad Cordubam versus* prosecuti sunt eos.

SALL. Animadvertit fugam *ad se versus* fieri.

b.

CIC. Quum *Brundusium versus* ires ad Caesarem.

CIC. Ille *Italiam versus* navigaturus erat.

LIV. Positi erant *versus aedem* Quirini[1].

II. Relatio temporis.

1. Tempus *quando*. — 2. Tempus *quamdiu*. — 3. Tempus *quam dudum*. — 4. Tempus *intra quod*.

1. Tempus quando.

† *282. Tempus* ***quando*** *ponitur ablativo:*

CIC. Haec ille egit *septem et decem annis* post alterum consulatum.

---

[1] *Versus* plerumque postponitur.

CIC. Cato mortuus est *annis octoginta sex ipsis* ante me consulem.

PLAUT. Eodem *die* illum vidi, *quo* te.

2. Tempus quamdiu.

† *283. Tempus* ***quamdiu*** *ablativo effertur (a) vel accusativo (b), cui* ***per*** *aliquando praeit (c):*

a.

SUET. Caligula imperavit *triennio* et *decem mensibus.*

CIC. Aegyptum Nilus *tota aestate* oppletam tenet.

CAES. Pugnatum est continenter *horis quinque.*

b.

LIV. *Decem* quondam *annos* Troja oppugnata est a tota Graecia.

LIV. Romulus *septem et triginta* regnavit *annos.*

CIC. Viginti et duos *annos* praefuit ei sacerdotio.

c.

CIC. Nulla res *per triennium,* nisi ad nutum istius, judicata est.

CIC. Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam *per hosce annos?*

LIV. *Per annos quatuor et viginti* primo Punico bello certatum est.

3. Tempus quam dudum.

† *284. Tempus* ***quam dudum*** *per* ***abhinc*** *effertur cum accusativo (a) vel ablativo (b) vel per solum accusativum, si actio manet (c):*

a.

PLAUT. *Abhinc annos sedecim* conspicatus est puellam.

VELL. Carthago diruta est *abhinc annos centum septuaginta.*

TER. Mulier quaedam *abhinc triennium* ex Andro commigravit.

b.

PLIN. *Septimo abhinc anno* in Alba inventa est vitis uno die deflorescens.

PLAUT. *Abhinc quadraginta annis* occisus foret.

c.

SALL. *Sextum* jam *mensem* obsessus teneor.

LIV. Saguntum *octavum* jam *annum* sub hostium potestate est.

NEP. Eumenes ait se mirari, quare jam *tertium diem* teneretur [1].

4. Tempus intra quod.

285. Tempus ***intra quod*** *ponitur ablativo:*

CIC. *Diebus quindecim* absolutae sunt quatuor tragoediae.

CIC. Respondit *triduo* illum, ad summum *quatriduo* esse periturum.

CIC. *Biduo* sciemus [2].

286. Singulare est illud:

JUST. Decessit Alexander *annos tres et triginta* natus.

TER. *Annos sexaginta* natus es aut eo plus.

CIC. Reliquit hunc *annos quindecim* natum.

III. Relatio spatii.

† *287. Distantia significatur ablativo (a) vel accusativo (b):*

a.

CAES. A Cornificio septem millium *intervallo* abest.

CAES. *Aequo* fere *spatio* a castris aberat.

CAES. *Millibus* passuum *sex* a castris sub monte consedit.

b.

CIC. Negat se a te *pedem* discessisse.

---

[1] Numeralia haec observa *ordinalia* esse, non cardinalia.

[2] Accusativum cum *intra*, v. n. 181.

Liv. Fere *quingentos passus* ab hoste posuit castra.
Cic. Quum tamen abessent aliquot dierum *viam*.

† 288. *Item dimensio effertur ablativo (a) vel accusativo (b):*

a.

Liv. Fossam *sex cubitis* altam, *duodecim* latam duxit.
Plin. Lydion, quo utimur, longum *sesquipede*.
Cat. Trabem imponito crassam *pede uno*.

b.

Colum. Esto ager longus *pedes mille ducentos*.
Caes. Perpetuae fossae *quinos pedes* altae ducebantur.
Liv. Arabes gladios habebant longos *quaterna cubita*.

Liber Secundus.

ORATIONIS FORMATIO.

CAPUT PRIMUM.

DE ORATIONE EJUSQUE ELEMENTIS.

* *289. Oratio est complexio vocum sententiam efficientium. Sunt elementa orationis* ***verbum,*** *quae est anima sententiae;* ***suppositum,*** *de quo praedicatur notio verbi;* ***terminus,*** *qui vim verbi quoquomodo recipit; ceteraque* ***apposita,*** *quae vel supposito (a) adjiciuntur vel verbo (b) vel termino (c):*

a.

Nep. Cato primum stipendium meruit *annorum decem septemque.*

Hor. Aliena negotia curo excussus *propriis.*

b.

Nep. Erat *eo tempore* Thyus dynastes Paphlagoniae.

Cic. Aves nidum *quam mollissime* substernunt.

c.

Cic. Faciam te *consilii nostri* certiorem.

Nep. Atticus habebat avunculum Q. Caecilium *difficillima natura.*

† *290. Oratio simplex constat uno verbo (a); complexa pluribus (b):*

a.

CIC. *Est* profecto animi medicina philosophia.

VIRG. *Trahit* sua quemque voluptas.

CIC. Eratosthenes a Serapione *reprehenditur.*

b.

CIC. Epaminondas fidibus praeclare *cecinisse dicitur.*

CIC. Oceanus medius fidius vix *videtur* tot res *absorbere potuisse.*

HIRT. *Videris* mihi *vereri,* ne *dimicare cogaris.*

† *291. Oratio primaria continet sensum absolutum (a), secundaria relativum (b):*

a.

HIRT. Quum ad Canopum ventum esset, *Euphranor circumventus ab Alexandrinis est.*

SALL. *Sentius in senatu litteras recitavit,* quas Faesulis allatas sibi dicebat.

CIC. *Numquam labere,* si te audies.

b.

HIRT. *Quum ad Canopum ventum esset,* Euphranor circumventus ab Alexandrinis est.

SALL. Sentius in senatu litteras recitavit, *quas Faesulis allatas sibi dicebat.*

CIC. Numquam labere, *si te audies.*

CAPUT SECUNDUM.

DE ORATIONE SIMPLICI.

I. Oratio verbi substantivi. — II. Oratio verbi adjectivi.

I. Oratio verbi substantivi.

* *292. Verbo substantivo et praeire potest et subire nominativus: qui praeit, suppositum vocatur; qui subit, praedicatum:*

SEN. Grammatici custodes sunt sermonis Latini, non auctores.
OV. Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.

293. Et praedicatum (a) et suppositum (b) deesse possunt:

a.

CIC. Fuit apud Segestanos simulacrum ex aere Dianae.
CIC. Siquando erit civitas, erit profecto nobis locus.

b.

CIC. Apud matrem recte est.
CIC. Quintilis, si erit[1], in itinere est consumendus.

294. ***Sum*** *taceri potest (a) et attrahi ad praedicatum (b):*

a.

CIC. Haec leviora, illa vero gravia.
LIV. Rerum deinde divinarum habita cura.
VIRG. Tune ille Aeneas, quem Venus genuit?

b.

OV. Quas geritis vestes, sordida lana *fuit.*
LIV. Pars non minima triumphi *est* victimae praecedentes.
CIC. Contentum esse rebus suis maximae *sunt* divitiae.

II. Oratio verbi adjectivi.

* *295. Verbum adjectivum, sive* ***activum*** *(a) sit sive* ***passivum*** *(b) sive* ***neutrum*** *(c), habet pro supposito nominativum, cui verbum concordet necesse est (25 et sqq.). Terminus activi est accusativus (a); passivi ablativus (b)*[2]*: neutrius varius est pro varia natura verbi (c), ut vidisti in primo libro:*

a.

CIC. *Multos* divini supplicii metus a scelere *revocavit.*
NAEV. Ego pluris *feci libertatem,* quam *pecuniam.*

---

[1] H. e.: Si licebit.

[2] Id ipsum, quod suppositum dixeramus in voce activa, in passiva terminum vocamus magis grammatice quam philosophice.

b.

Cic. Eratosthenes *a Scrapione reprehenditur.*
Ov. Assiduo vomer *tenuatur ab usu.*

c.

Cic. *Varroni displicet* consilium pueri; *mihi* non.
Cic. *Caruit foro* postea Pompejus.

296. Suppositum primae alteriusque personae facile tacetur:

Cic. Trebonio multos annos *utor* valde familiariter.
Hor. *Incedis* per ignes suppositos cineri doloso.
Liv. Ne *acquaveritis* Hannibali Philippum.

† *297. Carent supposito impersonalia (a) et neutra passive (b):*

a.

Cic. Num senectutis suae eum *poeniteret?*
Cic. *Pudet* me non tui quidem, sed Chrysippi.
Sen. Quaeritur quare hieme *ningat*, non *grandinet.*

b.

Vell. Raro *invidetur* eorum honoribus, quorum vis non timetur.
Caes. A Cotta primisque ordinibus acriter *resistebatur.*
Cic. Ab hora tertia *bibebatur, vomebatur*[1].

† *298. Activae etiam ponuntur sine supposito multa verborum intellectus et linguae in tertia persona plurali (a); item alia quaevis consuetudinem referentia (b)*[2]*:*

a.

Liv. Romanus, inquit, sum; Mucium *vocant.*

---

[1] Activa *bibo* et *vomo* posita sunt hic neutraliter.

[2] Cetera vix: Ov.: „Tum primum *subiere* domos" pro: Subitum est domos.

CIC. Majus est hoc, quam vulgo *opinantur*.
PLIN. *Narrant* in Ponto Caeciam trahere nubes.

b.

PHAEDR. Quia videor acer, *alligant* me interdiu.
COLUM. In Umbria secundum terram *succidunt* frumentum.
CIC. Maxime *admirantur* eum, qui pecunia non movetur.

299. Aliqua verba subaudiuntur (a), maxime ***dico*** *vel* ***loquor*** *(b):*

a.

CIC. Martis vero signum quo mihi pacis auctori?
LIV. Nihil aliud quam steterunt parati ad pugnandum.
CIC. Vincam silentium; et si nihil aliud, certe gemitu interpellabo [1].

b.

CIC. Haec tu mecum saepe, his absentibus; sed, his praesentibus, haec ego tecum, Milo.
CIC. De quo alias; nunc quod necesse est.
CIC. Non soleo temere contra Stoicos.

CAPUT TERTIUM.

DE ORATIONE PRONOMINIS RELATIVI.

I. Constructio relativi. — II. Contractio in participium.

I. Constructio relativi.

* *300. Genus et numerus relativi est idem qui antecedentis* [2]*; casus varius est, pro vario relativi munere. Quare, si relativum fungatur munere suppositi, erit cum verbo finito nominativus (a), cum infinito accusativus (b): si relativum fungatur vice termini, casus erit is, quem verbum postulet (c), et sic de ceteris rectionibus (d):*

---

[1] H. e.: Et si nihil aliud *faciam*. . . .

[2] Quid sit antecedens et consequens, vide in n. 16.

a.

Cic. Moritur Quinctius, *qui* tibi grandem pecuniam debuit.

Plaut. Opus est nobis ancilla, *quae* texat et molat.

Cic. Longum exordium est, *quod* pluribus, quam satis est, producitur.

b.

Cic. Scit hoc Lentulus, *quem* adesse vides.

Cic. Illi ipsi venerunt, *quos* ego venturos esse praedixeram.

Cic. Retorquet oculos ad hanc civitatem, *quam* ex suis faucibus ereptam esse luget.

c.

Cic. Commoda, *quibus* utimur, lucem, *qua* fruimur, a Deo nobis impertiri videmus.

Cic. Quis est hodie, *cujus* intersit istam legem manere?

Cic. Sunt homines, *quos* infamiae suae non pudet.

d.

Cic. Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum, *quarum* simile habes nihil praeter colorem.

Cic. Omitto illud facinus, *quo* foedius nec fieri, nec cogitari quidquam potest.

Liv. Erat in castris C. Martius, *cui* cognomen Coriolano fuit.

† *301. Antecedens et consequens possunt simul exprimi (a) vel supprimi (b); vel, suppresso antecedente, exprimi consequens (c); vel, suppresso consequente, exprimi antecedens (d):*

a.

Cic. Objecit mihi *consulatum* meum, qui *consulatus* verbo meus, re vester fuit.

Cic. Libertatis simulacrum in ea *domo* collocabas, quae *domus* erat indicio tui crudelissimi dominatus.

Cic. *Diem* scito esse nullum, quo *die* non dicam pro reo.

b.

Cic. Reperiam, *qui* scribat utra voles lingua.
Cat. Numquam tacet, *quem* morbus tenet loquendi.
Plaut. Cupio dare mercedem, *qui* illum commonstret mihi [1].

c.

Ov. Cecidere manu, quas legerat *herbas.*
Cic. Quibus de *rebus* ad me scripsisti, coram videbimus.
Quint. Timeo ne, quos porrexerim *cibos,* venena fiant.

d.

Cic. Ego illam *sententiam* dixi, cui assensi sunt ad unum.
Cic. Tu illas *faces* incendisti, quibus semiustulatus ille est.

302. Oratio relativi vemste praeponitur:

Cic. Credam Sex. Naevium, cujus caput oppugnet, illius auribus pepercisse?

Vell. Respondit Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores.

Cic. Hoc natura est insitum, ut, quem timueris, quicum de vita contenderis, hunc semper oderis.

303. Uni verbo attribui licet duplex relativum:

Cels. Stomachum infirmum indicant pallor, macies, *quae* in *quo* non sunt, is firmi stomachi est.

Cic. Ab eodem Pompejo exempla sumantur, *qui quo* die bello praepositus est, vilitas annonae secuta est.

Cic. Admirantur eum, qui pecunia non movetur, *quod* in *quo* viro perspectum sit, hunc spectatum arbitrantur [2].

304. Relativum cum negatione converti licet in **quin,** *praecierit modo negatio (212):*

---

[1] Vide appendicem, n. 418.

[2] Similiter in relativo adverbio: Liv.: Legiones ductae sunt ad diruendam urbem, *quae ubi* intravere portas, non fuit tumultus.

CIC. Nego ullam picturam fuisse, *quin* conquisierit.

SALL. Quis est omnium his moribus, *quin* divitiis cum majoribus contendat?

PLAUT. Mihi jam nihil novi afferri potest, *quin* sim peritus[1].

305. Relativum cum **ad, ex, in** *suppleri potest per* **quo, unde, ubi** *(a); genitivus autem relativi per adjectivum* **cujus** *(b):*

a.

CIC. De illa re dicet ornatius quam ille, *unde* cognovit.

CIC. Fuit Diodorus apud eos, *quo* se contulit, propter virtutem gratiosus.

TER. Digna res est, *ubi* tu nervos intendas tuos.

b.

PLAUT. Argentum pro istisce ambabus, *cujae* erant, domino reddidi.

CIC. Ut optima conditione sit is, *cuja* res est, *cujum* periculum.

PLAUT. *Cujam* te esse vis, ad eum maxime duco[2].

II. Contractio in participium.

* *306. Relativum agens cum tempore praesente contrahitur in participium praesens (a). patiens cum tempore praeterito in participium praeteritum (b):*

a.

CIC. Caesari omnia perturbare *cupienti* causam belli inferendi dedisti[3].

LIV. Jam equitum clamor exire *jubentium* instabat.

VIRG. Amisit Mantua campum *pascentem* niveos herboso flumine cycnos.

---

[1] *Cujus non* sim peritus.

[2] De concordantia relativi vide n. 16.

[3] H. e.: Caesari, *qui* omnia perturbare *cupiebat* etc.

b.

CIC. Dubitas vitam suppliciis *ereptam* fugae mandare?[1]

VIRG. Surgunt de semine *habitae* Grajis oracula quercus.

SUET. Romam recens *conditam* cum magna clientum manu commigravit.

* *307. Relativum agens cum tempore praeterito solum contrahitur in deponentibus:*

TER. Haec ego praecipio tibi hominis frugi *functus* officio.

CIC. Ego adolescentes bonos, sed *usos* ea conditione fortunae, comitiorum ratione privavi.

CIC. Mihi jam optanda mors est *perfuncto* his rebus.

* *308. Cum tempore futuro agens contrahitur in futurum in* **rus** *(a); patiens in futurum in* **dus** *(b):*

a.

SEN. Ex torrente non semper *casuro* cito hauriendum est[2].

LIV. Rem ausus est Cocles plus famae *habituram* ad posteros quam fidei.

VELL. Illud referatur exemplum tanti mox *evasuri* viri.

b.

LIV. Adeo moverat eum *subeunda* dimicatio.

CIC. Si forte videbor altius initium rei *demonstrandae* petisse, quaeso ut ignoscatis.

CIC. Prudentia est rerum *expetendarum fugiendarumque* scientia.

† *309. In verbo* **sum** *participium futurum ponitur ut in ceteris (a); quodsi oratio constabit praesente, cujus temporis* **sum** *caret participio, contrahetur oratio, si, sublato relativo, praedicatum antecedenti concordaverit (b):*

---

[1] H. e.: Dubitas vitam, quam suppliciis eripuisti etc.

[2] H. e.: Ex torrente, qui non semper cadet etc.

a.

COLUM. Multis experimentis inspiciendus est, *futurus* villicus.

LIV. Alii alios intueri, contemplari inermes *futuras* dextras.

CIC. Signa ostenduntur a diis rerum *futurarum.*

b.

CIC. Dii isti *Segulio* male faciant, *homini nequissimo* omnium.

PLAUT. Egon' *patri* surripere possim quidquam, tam *cauto seni?*

GELL. Verba sunt *Varronis,* quam fuit Claudius, *doctioris.*

CAPUT QUARTUM.

DE ORATIONE INFINITA.

I. Infinitum generatim. — II. Infinitum singulatim. — III. Attractio et rejectio infiniti.

I. Infinitum generatim.

* * * *310. Voces infinitae quatuor sunt: prima est praesentis temporis (a), altera praeteriti (b), tertia futuri imperfecti (c), quarta futuri perfecti (d):*

a.

CAES. Eos suum adventum *exspectare* jussit.

CIC. Indicium *describi* ab omnibus librariis imperavi.

LIV. Fama est aram *esse* in vestibulo templi Junonis.

b.

HOR. Omnem crede diem tibi *diluxisse* supremum.

CIC. Clodium meo consilio *interfectum esse* dixisti.

PLAUT. Nullam me *vidisse* credo anum magis excruciabilem.

c.

PLAUT. Rem divinam se *facturum esse* dixerat.

CIC. Quem tu locum Graeciae non *direptum iri* putas?

VAL. ANT. Haruspices dixerunt omnia e sententia *processurum esse* [1].

d.

CIC. Mihi exploratum est illum non *facturum fuisse.*
CIC. Iter Asiaticum puto tibi *suscipiendum fuisse.*
CIC. Dixit Clodium in Albano *mansurum fuisse.*

311. In altera (a) tertiaque voce (b) **esse** *omitti potest:*

a.

JUV. Credo pudicitiam Saturno rege moratam in terris.
CIC. Copiam quam largissime factam oportuit.
TER. Mansum tamen oportuit.

b.

CAES. Juravit se, nisi victorem, in castra non rediturum.
PLAUT. Misit nuper ad me epistolam sese experturum quanti se penderem.
CIC. Hanc sibi rem praesidio sperat *futurum* [1].

* *312. Suppositum infiniti, nisi hoc ponitur impersonaliter (a), est accusativus (b); quem omitti fas est (c), si facile subaudiatur:*

a.

CAES. Caesar receptui *cani* jussit.
CIC. *Habitari* ait Xenophanes in luna.
CAES. Nostri animadverterunt non *concurri* a Pompejanis.

b.

PLAUT. Bono *me* ingenio esse ornatam quam auro mavolo.
CIC. Auguratus petitionem *te* mihi concessisse dixisti.
CIC. Non spero *te* istic jucunde hiemare.

---

[1] Archaismus haud infrequens.

c.

CIC. Ibi me non occidisti: magnum beneficium! potuisse enim fateor.

TIBULL. Nunc, dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi picta docet templis multa tabella tuis.

CURT. Octoginta talenta constituit daturum Alexander.

† *313. Si agente infinitum careat, voce passiva (a) effertur vel activa (b):*

a.

SUET. Hos imperavit in asperrimas insularum *avehi.*

CIC. Ubi semel quis pejeraverit, ei *credi* postea non oportet.

TAC. Promptum vagina pugionem *asperari* saxo jubet.

b.

CIC. Dii jusserunt simulacrum Jovis *facere* majus et in excelso *collocare.*

CIC. In hujusmodi sponsionem testes *dare* oportet.

SEN. Intemperantiam in morbo suam experti *parere* sibi in adversa valetudine vetant.

314. Efferri fas est infinitum sine regente, ubi subaudiri possit **coepi** *(a) vel* **dico** *(b) vel quidvis commodum (c):*

a.

CIC. Postquam inde discessum est, *cogitare* iste nihil aliud, nisi quemadmodum regem spoliatum dimitteret.

SALL. Postulant plerique, uti proponeret, quae conditio belli foret; tunc Catilina *polliceri* proscriptionem locupletium.

CIC. Quod ubi auditum est, *aestuare* illi, qui pecuniam dederant.

b.

CAES. Exercitui imperavit, ne injussu suo concurreret: se, quum id fieri vellet, signum *daturum.*

CIC. Verres mittit trullam gemmeam rogatum: *velle* se eam diligentius considerare.

SALL. Jugurtha inter alias res jacit oportere quinquennii consulta rescindi; nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo *valuisse.*

c.

PLAUT. Proh deum atque hominum fidem, hoccine pacto indemnatum me *abripi.*

HOR. Hunccine solem tam nigrum *surrexe* mihi.

PLAUT. Ita me probri *argutam* a viro meo.

II. Infinitum singulatim.

* *315. Accusativus infinito nullus praeit, si prius verbum fuerit* **debeo, possum, soleo** *(a) ceteraque, quae concordata vocant (b); item* **dicor, jubeor, vetor** *(c) et alia id genus (d), nisi ponuntur impersonaliter (e):*

a.

CIC. Omnis actio vacare *debet* temeritate.

TER. *Possum*ne ego hodie ex te exsculpere verum?

CIC. Qui mentiri *solet,* pejerare consuevit.

b.

PLAUT. Quid *cessamus* proelium committere?

CIC. Dolabella injuriam facere fortissime *perseverat.*

CIC. De Ligarii facto non *audeam* confiteri.

c.

CIC. Siciliam C. Verres per triennium depopulatus esse *dicebatur.*

LIV. Consules *jubentur* exercitum conscribere.

QUINT. Athenis actor movere affectus *vetabatur.*

d.

CIC. Terentii fabulae *putabantur* a C. Laelio scribi.

CIC. Bibulus nondum *nuntiabatur* esse in Syria.

HIRT. Naves Euro portum capere *prohibebantur.*

e.

NEP. *Dicitur* matrem Pausaniae ad filium claudendum lapidem attulisse.

LIV. *Creditur* Pythagorae auditorem fuisse Numam.

CIC. Non dubie *nuntiabatur* Parthos transiisse Euphratem.

316. Quare etiam praedicatum nominativo effertur:

CIC. Crassus ab illa peste *infestissimus* esse praedicabatur.

TAC. Ferebatur vagari noctibus *solitus* esse.

CIC. Vere mihi hoc videor *dicturus* esse.

† *317.* ***Videor*** *concordatum ubique invenitur (a), impersonale vix usquam (b), nisi si deest persona, cui haereat (c):*

a.

CIC. Si illud diceres, improbe mentiri *viderere.*

CIC. Rem haud sane difficilem admirari *videmini.*

CIC. Relegatus esse mihi *videor,* postquam in Phormiano sum.

b.

GELL. *Videtur*ne tibi C. Caesarem aperte pronuntiasse?

CIC. Non mihi *videtur* ad beate vivendum satis posse virtutem [1].

c.

CIC. Eam quoque, si *videtur,* correctionem explicabo.

CIC. Nunc mihi *visum est* de senectute aliquid ad te conscribere.

CIC. Si tibi *vidébitur,* villis his utere.

† *318.* ***Debeo, possum, soleo*** *ac similia, passivo infinito, remanent tamen activa (a); at* ***coepi*** *(b, c) cum* ***desino*** *(d, e) possunt activa remanere (b, d) vel fieri passiva (c, e):*

---

[1] Alii legunt *virtus.*

a.

Nep. Id Alcibiadi celari diutius non *potuit.*

Cic. His rebus coërceri milites *solent.*

Cels. Imponi *debet* emplastrum, puri movendo accommodatum.

b.

Liv. A duobus consulibus Casilinum oppugnari *coepit.*

Sall. Postquam tantam rem Marius patravit, clarior haberi *coepit.*

Liv. Injuriae plebi a primoribus fieri *coepere.*

c.

Liv. Prodigii loco ea clades haberi *coepta est.*

Cic. De republica consuli *coepti sumus.*

Nep. Desiderari *coepta est* Epaminondae diligentia.

d.

Cic. Conventus jam pridem fieri *desierunt.*

Quint. In sole ipsa sidera *desinunt* cerni.

Colum. Quae limosa versantur arva, toto anno *desinunt* posse tractari.

e.

Cic. Veteres orationes post nostras legi *sunt desitae.*

Suet. Censores creari *desitos* longo intervallo creavit.

Cic. Papirius, qui Papisius est vocari *desitus.*

319. Non solum ***coepi*** *et* ***desino, coeptum est*** *et* ***desitum est*** *(a), sed cetera etiam concordata (b), si desit persona, cui haereant, ponuntur impersonaliter:*

a.

Cic. Jam pridem contra nostros *desitum est* disputari.

Cic. Dici a defensore *coeptum est.*

Liv. Consuli ordine *coepit.*

b.

Cic. Hic diutius maneri non *potest.*
Plaut. Ad istum modum veniri non *solet.*
Caes. Pugnatum est ab hostibus sic acriter, ut a viris fortibus pugnari *debuit.*

320. Accedunt concordatis ea, quae pro sua natura (a) vel constructione (b) commune habent cum priori verbo suppositum:

a.

Stat. Forsitan Ausonias *ibis* frenare cohortes.
Cic. *Perge* quatuor mihi istas partes explicare.
Curt. Vitricus tuus vitam tuam perditum ire *properat.*

b.

Plaut. Lucernam forte *oblitus eram* exstinguere.
Vell. Homerus fulgore carminum appellari poëta *meruit.*
Ter. Pater esse *disce* ab his, qui vere *sciunt.*

† *321. Vix concordantur activa intellectus et linguae (a), voluntatis saepe (b), non semper (c):*

a.

Ov. Rettulit Ajax Jovis esse *pronepos.*
Hor. Vir bonus dignis ait esse *paratus.*
Catull. Phasellus ille, quem videtis, ait fuisse navium *celerrimus.*

b.

Ov. Cuperem semper tibi *proximus* esse.
Cic. Malim videri nimis *timidus* quam parum *prudens.*
Cic. Cato esse quam videri *bonus* malebat.

c.

Cic. Vitrici *te similem* quam avunculi esse maluisti.

PLAUT. Res quaedam est, quam ego volo *me* a te exorare.

CIC. Ego *me* Phidiam esse mallem quam vel optimum fabrum tignarium.

† 322. ***Promitto, spero, confido*** *et similia promiscue accipiunt primam vocem (a) vel tertiam (b):*

a.

CIC. Sperabat Ajax Ulyssis morte se salutem sibi *comparare.*

PLAUT. Ei promisi dolium vini *dare.*

LIV. Inde ab initio Faustulo spes fuerat regiam stirpem apud se *educari.*

b.

PLAUT. Dicam, si fidem das non te infidum *fore.*

LIV. Pepigerant quotannis *juraturos* in verba Philippi.

PLAUT. Spes est hodie *tactum iri* militem.

323. ***Memini*** *promiscue admittit primam (a) et alteram vocem (b):*

a.

CIC. Miministine me ante diem duodecimum kalendas *dicere* in senatu?

VIRG. Equidem Teucrum memini Sidona *venire* finibus expulsum patriis.

GELL. Memini me Julianum graviter aegrum *visere.*

b.

CIC. De comitiis me tibi *permisisse* memini.

VIRG. Sub Aebaliae memini me turribus altis Coricium *vidisse* senem.

QUINT. Qua de re memini *narrasse* mihi Julium.

324. ***Credo, opinor, puto, inquam*** *et siquod est aliud solent e contextu cripi:*

PROP. Qui, *puto,* Arioniam vexerat ante lyram.

PLAUT. Hercle, *opinor*, mihi advenienti hac nocte agitandum est vigilias.

CURT. Aetoli fundis, *credo*, et hastis repellentur.

325. **Possum,** *siquando intercesserit duas inter negationes, gaudebit infinitum (a) mutare subjunctivo (b), conversa in* **quin** *altera negatione; adsciscet etiam* **facere** *(c); cum quo infinito* **quin** *resolvatur licet in* **ut non** *(d):*

a.

CIC. Juvenem nostrum non possum non amare.

CIC. Non possum ejus casum non dolere.

CIC. Epistolas ad te non potui non dare.

b.

CIC. Non possum, *quin* exclamem, ut ait ille in Trinummo.

PLAUT. Ille non potuit, *quin* sermone aliquem familiarium participaverit de amica heri.

PLAUT. Non possum, *quin* revortar.

c.

CIC. *Facere* non possum, *quin* tibi sententiam declarem meam.

CIC. *Facere* non possum, *quin* ad te mittam.

PLAUT. Nullo modo potest *fieri, quin* dos detur virgini.

d.

CIC. Non potuisti ullo modo facere, *ut* illam epistolam *non* mitteres?

CIC. *Ut* nihil ad te dem litterarum, facere *non* possum.

CIC. Alterum facio, ut caveam; alterum, *ut non* credam, facere non possum.

III. Attractio et rejectio infiniti.

326. Si prius verbum dativo gaudeat, dativus alter, qui ad primum pertineat, ab infinito attrahitur (a, b); neque solum ab infinito **esse** *(a), sed a quovis (b); at haec attractio non fit necessario (c):*

a.

Liv. Vobis necesse est *esse* fortibus *viris.*

Quint. Oderit reum, cui *diserto esse* vacet.

Flor. Satius fuit populo Romano Sicilia *contento esse.*

b.

Hor. Da mihi fallere, da *justo sanctoque videri.*

Val. Max. Maximo tibi postea *civi* ac *duci evadere* contigit.

Liv. His in recentem equum ex fesso *transultare armatis* mos erat [1].

c.

Cic. Civi Romano licet esse *Gaditanum.*

Ter. Expedit *bonas* esse vobis.

Caes. Is erat annus, quo per leges Caesari *consulem* fieri liceret.

327. Attrahitur et accusativus ab infinito:

Cic. Antonius ajebat se tantidem aestimasse quanti *sacerdotem* [2].

Cic. Te suspicor eisdem rebus quibus *me ipsum* interdum gravius commoveri.

Cic. Affirmavi quidvis me potius perpessurum quam ex Italia *me* exiturum.

328. Attrahitur ipsum infinitum:

Liv. Plebs aegre ferebat jacere tam diu irritas actiones, quum interim de supplicio suo latam legem confestim *exerceri.*

Liv. Flaccus dicebat se moenibus inclusos tenere eos, quia, si evasissent aliquo, velut feras bestias per agros *vagari.*

Caes. Caesar respondit, si veteris contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium injuriarum memoriam deponere *posse?*

---

[1] Vide appendicem, n. 420.

[2] H. e.: Quanti sacerdos aestimasset.

† *329. Infinitum rejiciunt particulae indefinitae* ***quantum, quid, quomodo, ubi*** *ceteraeque:*

CIC. Vide *quantum interfuerit* inter meam atque tuam sententiam.

CIC. Statuis *quid* his ad denarium *solveretur.*

CIC. Dubito *quomodo loquar* aut *taceam.*

CIC. Nihildum audieramus, *ubi esses* nec *quas* copias haberes.

CIC. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius *qua* facie *fuerit.*

PLAUT. Expertae estis, *quam* ego sim mitis tranquillusque homo.

CAPUT QUINTUM.

DE ORATIONE SUBJUNCTIVA.

I. Verba intellectus, linguae et sensus. — II. Verba dubitativa. — III. Verba voluntativa et hortativa. — IV. Verba eventus et convenientiae. — V. Verba affectiva. — VI. Verba timoris. — VII. Verba prohibitiva.

I. Verba intellectus, linguae et sensus.

* *330. Verba intellectus, linguae et sensus ita gaudent infinito (a), ut id aegre mutent subjunctivo, adjecta particula* ***quod*** *(b):*

a.

CIC. Omnes *esse* naturam divinam arbitrantur.

CAES. Caesari nuntiatum est equites Ariovisti propius tumulum *accedere.*

SEN. Pompejos, celebrem Campaniae urbem, *desedisse* terrae motu audivimus.

b.

PALL. Aliqui semen ejus non obruunt opinantes *quod* a nulla ave tangatur.

CELS. Dicam *quod* in vicino saepe quaedam notae imperitos medicos decipiunt.

CORN. GALL. Saeva, non vides *quod* ego langueo[1].

[1] Vide appendicem, n. 421.

II. Verba dubitativa.

⁂ *331. Infinitum (a) verborum dubitandi mutatur subjunctivo cum* **an, utrum, num** *(b) aut* **ne** *enclitica (c)*[1]*:*

a.

NEP. Non dubitat consilia sua *perventura esse* ad aures regis.

CURT. Si Tanaim transierimus, quis dubitat *patere* etiam victoribus Europam?

CIC. Dubitet Curtius consulatum *petere?*

b.

CIC. Dubitabitur, *utrum* sit probabilius Naevium petiturum fuisse?

CIC. Primum addubitavi, *num* a Volumnio esset epistola.

CURT. *An* permissuri sint Macedones, dubito.

c.

CIC. Itinerum meorum ratio te in dubitationem videtur adducere, visurus*ne* me sis in provincia.

CIC. Honestum*ne* factu sit an turpe, dubitant.

CIC. Antea dubitabam, ventura*ne* essent legiones.

† *332.* **Quin** *non ponitur, nisi praecedat negatio (a) aut quidvis (b), quod pro negatione haberi possit (212):*

a.

CURT. *Haud* dubius erat, quin vera referrentur.

VELL. *Non* dubites, Vinici, quin magis e republica fuerit manere rudem Corinthiorum intellectum.

CIC. *Non* dubitabat Minucius, quin iste illo ipso die quaesiturus non esset.

b.

CIC. *Quasi* vero dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa constituta sit.

---

[1] Vide appendicem, n. 422.

SALL. Cui dubium esse potest, quin opulentiam istam ex sanguine civium pararis?

CIC. Vide, quam turpi leto pereamus, et dubita, *si potes*, quin ille, seu victus seu victor redierit, caedem facturus sit [1].

† *333. In dubio disjunctivo dant priori membro* **utrum** *vel* **ne** *encliticam, alteri* **an** *(a); priori etiam demunt particulam (b):*

a.

CIC. Pompejus Scauro studet; sed *utrum* fronte *an* mente dubitatur.

SALL. Incertus sum, quid agam: tuas*ne* injurias persequar *an* regno consulam.

CIC. Hannibal dubitavit, *utrum* columna solida esset *an* extrinsecus inaurata.

b.

SALL. Dubitare Jugurtha coepit, virtuti popularium *an* fidei minus crederet.

VELL. Quis dubitat, suo *an* Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit?

SUET. In obeundis expeditionibus dubium est, cautior *an* audentior fuerit.

334. Alteri membro neganti additur **necne** *vel* **an non:**

CIC. Aristo dubitat, omnino Deus animans *necne* sit.

CIC. Parthi transierint *necne*, praeter te video dubitare neminem.

PLAUT. At etiam dubitavi, hos homines emerem *an non* emerem.

† *335. Similiter his constructur oratio, quae constabit implicita quaestione (a); quae, si fiat explicita, effertur indicativo (b):*

---

[1] Vide appendicem, n. 408.

a.

Ad Her. Deliberat senatus, solvat*ne* legibus Scipionem.

Ter. Vos eritis mihi judices laudi*n'* *an* vitio duci factum id oporteat.

Cic. Doleam *necne* doleam, nihil interest.

b.

Naev. Utrubi coenaturi *estis,* hiccine an in triclinio?

Hor. Num *furis* an prudens *ludis* me?

Cic. Utrum hoc crimen tantum *praetermittes* an *objicies?*

III. Verba voluntativa et hortativa.

* *336. Verba voluntativa et hortativa accipiunt infinitum (a) aut subjunctivum, expressa particula* **ut** *(b) vel suppressa (c):*

a.

Cic. Pictores et poëtae suum quisque opus *considerari* vult.

Caes. Caesar bellum cum Germanis *gerere* constituit.

Plaut. Tuae mercedis causa nos nostras domos postulas *comburere?*

b.

Suet. Nuntiantibus legatis jussit continuo, *ut* statuam ponerent.

Cic. Ardeo cupiditate, nomen *ut* nostrum scriptis celebretur tuis.

Plaut. Fratrem *uti* requiram atque *uti* redimam, volo.

c.

Curt. Malo, me fortunae poeniteat quam victoriae pudeat.

Ter. Jube nunc jam, dinumeret istis ille Babylo viginti minas.

Caes. Cohortamur magno sit animo neve dubitet proelium committere.

337. In negando accipiunt **ne** *(a),* **ut ne** *(b),* **non** *(c):*

a.

Cic. Quum divina cognoverit, volo, *ne* ignoret humana.

Macr. Hercules facturus sacrificium custodibus jussit, *ne* mulierem interesse paterentur.

Cic. Rogo te, *ne* demittas animum neve obrui te sinas.

b.

Cic. Fuit optandum Caecinae, *ut ne* cum tam improbo homine controversiam haberet.

Plaut. Per ego te haec genua oro, *ut ne* te pigeat dare operam mihi.

c.

Cic. Vellem, tua te occupatio *non* impediret.

Val. Max. Interim a sole mihi velim *non* obstes.

† *338.* **Volo, nolo, cupio** *et siquod est aliud, gaudent altera voce passiva, expresso* **esse** *(a) vel suppresso (b); quae vox, si deerit patiens, ponitur absolute (c):*

a.

Plaut. Nuntiate, ut prodeat foras Guiddeneme; est qui illam *conventam esse* vult.

Cic. Corinthum, totius Graeciae lumen, *exstinctum esse* voluerunt.

Ter. Non hoc de nihilo est, quod Laches me nunc *conventam esse* expetit.

b.

Cic. Domestica te cura *levatum* volo.

Cic. Quia nati sunt cives, *monitos* eos etiam atque etiam volo.

Nep. Qui civitatem *conservatam* cuperet, pecuniam numeravit de suo.

c.

Cic. Natura praescribit, ut homo homini *consultum* velit.

PLAUT. Siquando homini dii *benefactum* esse voluerunt, aliquo id pacto obtingit.

LIV. Adversae fortunae velit *succursum.*

† *339.* ***Curo, decerno, statuo, censeo*** *et similia amant futurum in* ***dus*** *(a),* ***hortor, impello, invito*** *et similia gerundium cum* ***ad*** *(b):*

a.

SALL. Aetatem procul a republica *habendam* decrevi.

TAC. Nomen Pisonis *radendum* fastis censuit.

CIC. Ne absens censeare, curabo *edicendum.*

b.

CIC. Consules populum hortantur *ad* rogationem *accipiendam.*

CIC. Sum equidem a te lacessitus *ad scribendum.*

CIC. Eos non *ad perficiendum* scelus, sed ad *luendas* reipublicae poenas furiae quaedam incitaverunt.

340. ***Oro, precor, quaeso, obsecro*** *et alia id genus gaudent imperativo:*

TER. Ne *crucia* te, obsecro, anime mi.

CIC. Ad ea, quae dicturus sum, *reficite* vos, quaeso, judices.

VIRG. Oro te, *eripe* me, his, invicte, malis.

IV. Verba eventus et convenientiae.

* *341. Verbis eventus (a, b) et convenientiae (c, d) praeter infinitum (a, c) datur subjunctivus cum* ***ut*** *(b, d), quam particulam taceri licet (e):*

a.

HOR. Non cuivis homini contingit *adire* Corinthum.

CIC. Videte quam indigne accidat rem indignam non *vindicari.*

TIBULL. Mihi contingat patrios *celebrare* penates.

b.

PLAUT. Non potest fieri, *ut* tempore uno homo idem duobus locis simul *sit.*

CIC. Hujus me constantiae futurum puto, *ut* numquam *poeniteat.*

CIC. Nihil propius factum est, quam *ut* Cato *occideretur.*

c.

CAT. Patrem familiae villam rusticam bene aedificatam *habere* convenit.

PLAUT. Siccine oportet *ire* amicos amanti operam datum?

CIC. Non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum *frangi* cupiditate.

d.

CIC. Utriusque nostrum magni interest, *ut* te *videam,* ante quam decedas.

PLAUT. Aequum videtur tibi, *ut* ego, alienum quod est, meum esse *dicam?*

TER. An cuiquam est usus homini, se *ut cruciet?*

e.

CIC. Ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est.

CIC. Doceas oportet Alphenum negasse.

CIC. Necesse est iste, qui amicum fortunis spoliare conatus est, se perfidiosum esse fateatur.

342. Cum quibus verbis **ut non** *convertatur licet in* **quin,** *dummodo praeeat negatio (212):*

PLAUT. Numquam fiet hodie, *quin* haec saltet.

LIV. Haud multum abfuit, *quin* ab exsulibus occideretur.

LIV. Tanta circa trepidatio fuit, ut non multum abesset, *quin* opera desererentur.

343. Ex quibus **opus est, usus est** *(a) itemque* **oportet** *(b) gaudent participio praeteriti:*

a.

CAT. Quae opus sint *locato,* locentur.

PLAUT. Tacere nequeo misera, quod *tacito* usus est.

PLAUT. Ibo domum, ut parentur, quibus *paratis* opus est.

b.

CIC. Apollinis signum certe *ablatum* non oportuit.

TER. Adolescenti morem *gestum* oportuit.

PLAUT. Jovi aut mola salsa aut thure *comprecatam* oportuit [1].

V. Verba affectiva.

* *346.* ***Miror, laetor, doleo, poenitet*** *et alia ejuscemodi praeter infinitum (a) accipiunt* ***quod*** *cum subjunctivo (b) vel indicativo (c); quodsi prius verbum fuerit praesens vel futurum, pro* ***quod*** *admittunt* ***si*** *(d):*

a.

VIRG. Nec te poeniteat calamo *trivisse* labellum.

CIC. Jam minime miror te cum latronibus *vivere* in diem.

CIC. *Peccasse* enim se non anguntur; *objurgari* moleste fuerunt.

b.

CIC. Mirati sunt, *quod* Apollonius homo pecuniosus tam diu ab isto maneret integer.

PHAEDR. Pavo ad Junonem venit indigne ferens, *quod* cantus luscinii sibi non tribuerit.

CIC. Etiam illud moleste fero, *quod* parum comitatus exierit.

c.

CIC. Si id dolemus, quod eo frui non *licet,* nostrum est id malum.

CIC. Consolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni *sunt* infensae.

---

[1] *Desunt* numeri 344 et 345, mutatione facta, quum liber sub typis jam esset.

d.

Cic. Laetabor, *si* te valentem videro.
Plaut. Tu miraris, *si* patrissat filius?
Plaut. Quid ploras, pater? — Mirum *ni* cantem [1].

VI. Verba timoris.

* *347. Infinitum verborum timendi (a) mutare potes subjunctivo, adjecta particula* **ne** *(b), siquid metuas fieri;* **ut** *(c) aut* **ne non** *(d), si metuas non fieri* [2]*:*

a.

Liv. Timuit Mucius *sciscitari* uter Porsena esset.
Cic. Vos Allobrogum testimoniis non *credere* timetis.
Sall. Caveret id *petere* a populo Romano, quod sibi jure negaretur.

b.

Cic. Vereor, *ne* Pompejo quid oneris imponam.
Plaut. Metuo et timeo, *ne* hoc tandem propalam fiat.
Cic. Virgis *ne* caederetur monet, ut caveat.

c.

Plaut. Ornamenta, quae locavi, metuo, *ut* possim recipere.
Cic. Verentur patres conscripti, *ut* habeam satis praesidii ad ea, quae statueritis, transigunda.
Cic. Quia vos hoc foedus non jusseritis, veretur Hiempsal, *ut* sit satis firmum.

d.

Curt. Vereor, *ne non* praesenti fortunae tuae sufficere possis.
Liv. Timebat *ne,* si frequentia intraret loca, contineri miles *non* posset.
Cic. Non vereor, *ne* tua virtus opinioni hominum *non* respondeat.

---

[1] *Ni* est *si non.* [2] Vide appendicem, n. 425.

348. Post ***cave*** *fere omittunt* ***ne*** *(a); quodsi* ***caveo*** *ferat* ***ut,*** *pertinet ad voluntativa (b):*

a.

SALL. Cavete inulti amittatis animam.

PLAUT. Cave quemquam alienum in aedes intromiseris.

CIC. Caesar, cave ignoscas, cave te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereat.

b.

CIC. Cavit testamento, *ut* dies natalis agatur.

GELL. Lege cautum est, *ut* diebus ludorum sestertios tricenos in coenam insumere jus esset.

COLUM. Si editior ripae situs permitteret superponere villam profluenti, cavendum erit, *ut* a tergo potius quam prae se flumen habeat.

349. Est nomen pro priori verbo:

LIV. *Pavor* ceperat milites, ne vulnus Scipionis mortiferum esset.

CIC. Haud sane *periculum* est, ne non mortem aut optandam aut certe non timendam putet.

COLUM. *Timor* est, ne autumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur.

VII. Verba prohibitiva.

* *350. In prohibendo praeter infinitum (a) utimur subjunctivo cum* ***ne*** *(b) vel* ***quominus*** *(c);* ***quin*** *nusquam, nisi primaria negat (d):*

a.

CIC. Desperatis Hippocrates vetat *adhiberi* medicinam.

CIC. Ejus libidines *commemorare* pudore deterreor.

HIRT. Alexandrini nostros *adire* propius prohibuerunt.

b.

CIC. Jam impedior egomet dolore animi, *ne* de hujus miseria plura dicam.

PLAUT. Qui tu prohibere me potes, *ne* suspicer?
CIC. Neque id tamen, *ne* faciam, interdictum puto.

c.

CAES. Custodiis Numidarum, *quominus* sine periculo faceremus, impediebamur.
SALL. Nox atque praeda hostes, *quominus* victoria uterentur, remorata est.
CIC. Nihil impedit, *quominus* id, quod maxime placet, facere possimus.

d.

SALL. Non humana ulla neque divina obstant, *quin* socios et amicos trahant.
PLAUT. Nemo hinc vetat, *quin*, quod palam est venale, si argentum est, emas.
HOR. Has nullo possum prohibere modo, *quin* ossa legant.

CAPUT SEXTUM.

DE CETERIS ORATIONIS MODIS.

I. Modus finalis. — II. Modus causalis. — III. Modus conditionalis. — IV. Modus temporalis. — V. Modus correlativus.

I. Modus finalis.

1. Finalis per particulas. — 2. Finalis per participium. — 3. Finalis per gerundium. — 4. Finalis per supinum. — 5. Finalis per infinitum.

1. Finalis per particulas.

* *351. Subjunctiva* ***finalis*** *gerit particulas* ***ut*** *(a) vel* ***quo*** *(b), maxime in comparando (c):*

a.

CIC. Platonem ferunt, *ut* Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse.
CIC. Vigilas tu de nocte, *ut* tuis consultoribus respondeas.
AD HER. Esse oportet, *ut* vivas; non vivere, *ut* edas.

b.

NEP. Athenas se contulit, non *quo* sequeretur otium; sed ut patriam recuperare niteretur.

SALL. Ego vos, *quo* pauca monerem, vocavi.

PLAUT. Idcirco tanta facinora promitto, *quo* vos oblectem.

c.

NEP. Cupivit bellum componere, *quo valentior* postea congrederetur.

CIC. Libertate usus est, *quo impunius* dicax esset.

CAES. Castella communit, *quo facilius,* si se invito transire conarentur, prohibere posset.

† 352. ***Qui** ponitur pro **ut is**[1], **cujus** pro **ut ejus; cui** pro **ut ei** et ita porro (a), item **ubi** pro **in quo** aut **in quibus; unde** pro **ex quo** aut **ex quibus** (b):*

a.

CIC. Delectus sum ab universa provincia, *qui* ejus fortunas defendam.

NEP. Menestheo dantur duo usu et sapientia praestantes, *quorum* consilio utatur.

CIC. Antonium misi ad te, *cui* traderes cohortes.

CIC. Quis apparitor tam humilis: beneficia, *quae* venderet, a collega petebat.

CIC. Bacillum prope me, *quo* abigam, ponitote.

NEP. Hoc unum satis erit dictum, *ex quo* intelligi possit, quantus ille fuerit.

b.

VARRO. Singulis suibus, *ubi* pariant, faciendum est haras quadratas.

TER. Lectulos iligneis pedibus faciendos dedit, *ubi* potetis vos.

NEP. Artaxerxes Lampsacum urbem Themistocli donarat, *unde* vinum sumeret.

---

[1] Cujusvis personae.

353. Si negandum sit, dicimus ***ne*** *(a),* ***ut ne*** *(b),* ***quo minus*** *(c):*

a.

PLAUT. Ea huc gratia praecucurri, *ne* te opprimeret imprudentem.

HIRT. Qui in navibus erant, scalas rapere properabant, *ne* hostes navibus potirentur.

CIC. Non solum *ne*quid enunties, sed etiam *ne*quid auferas custodiendus es.

b.

CIC. Suspicor eo mihi semihoram praestitutam esse, *ut ne* plura de pudicitia dicerem.

CIC. Non tam ut prosim causae elaborare soleo, quam *ut ne*quid obsim.

PLAUT. Vis tibi ducentos nummos promittier, *ut ne* clamorem hic facias neu convicium?

c.

TER. Quidquam fallaciae in nuptiis conare, *quominus* fiant.

CURT. *Quominus* caedis puderet, jure interfectum Clitum Macedones decernunt.

SALL. Hanc ego causam, patres conscripti, *quominus* consilium novum capiamus, in primis magnam puto.

2. Finalis per participium.

† *354. Finalis contrahitur participio in* ***rus,*** *si ejus agens reperiatur in primaria (a), in* ***dus,*** *si patiens (b):*

a.

OV. Venit leaena *depositura* sitim vicini fontis in unda.

VELL. Caesar nepotem suum reliqua belli *patraturum* misit in Germaniam.

HOR. Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sunt, *scripturus.*

b.

HIRT. Caesar Asiam finitimasque provincias Calvino *administrandas* tradiderat.

MART. Haec quum condita sunt, traduntur puero domum *ferenda*.

SEN. Non habet sapiens *mittendos* trans maria legatos.

3. Finalis per gerundium.

† *355. Finalis effertur etiam gerundio: vel genitivi cum* ***causa*** *aut* ***gratia*** *(a), [quod vix omittitur (b)], vel dativi (c) vel accusativi cum* ***ad*** *(d)*[1]*:*

a.

SALL. Ab Metello *petundi gratia* missionem rogat.

SALL. *Dissimulandi causa* et quasi sui *purgandi* Catilina in senatum venit.

HIRT. Erant omnibus ostiis Nili custodiae, *exigendi* portorii *causa,* dispositae.

b.

TAC. Spectatus est Sacrovir intecto capite pugnam ciens *ostendendae,* ut ferebat, *virtutis*.

TER. Vereor coram in os te laudare, ne id *assentandi* magis quam quo habeam gratum facere existumes.

SALL. Quum privata arma *opprimundae* libertatis cepisset Lentulus, sibi quisque opes quaerendo consilium publicum corruperunt.

c.

TAC. Ejus anni principio Tiberius quasi *firmandae* valetudini in Campaniam secessit.

LIV. Turres contabulatas machinamentaque alia *quatiendis* muris portabant.

PLAUT. Abiisti ad forum *inveniundo* argentum.

d.

SEN. Apparet summi ingenii viro non judicium defuisse, *ad compescendum* scientiam carminum.

---

[1] De usu gerundiorum vide n. 132.

VELL. Cives Romanos *ad censendum* ex provinciis in Italiam revocarunt.

CAES. Minimum spatium *ad* se *armandos* Romanis datur.

4. Finalis per supinum.

† *356. Subjunctiva finalis mutatur supino, si primaria motum habet (a) vel subaudit (b):*

a.

SALL. Licentiam in vos *auctum* atque *adjutum* properatis.

CIC. Quis est qui nesciat venisse eam tot dierum viam tibi *gratulatum?*

PLAUT. Per Dionysia mater me pompam *spectatum* duxit.

b.

SALL. Neque ego vos *ultum* injurias hortor, sed magis ut requiem capiatis.

TER. Datur illa hodie Pamphilo *nuptum.*

CIC. Fama est consurrexisse omnes et senem illum *sessum* recepisse.

5. Finalis per infinitum.

357. Infinito etiam significatur finis, maxime apud poëtas:

VIRG. Non ferro Libycos *populare* penates venimus.

PLAUT. Parasitum misi Cariam *petere* argentum.

STAT. Tu Tyrias arces adversaque signa vacasti *sternere.*

II. Modus causalis.

1. Causalis per particulas. — 2. Causalis per participium.

1. Causalis per particulas.

* *358. Modus causalis addit* ***quod*** *subjunctivo (a) vel indicativo (b), item* ***quia*** *(c, d) vel* ***quo*** *(e):*

a.

CIC. Ajebant sese jam ne deos quidem habere, *quod* eorum simulacra Verres *sustulisset.*

SUET. Caligula avaritiae singulos increpabat, *quod* non *puderet* eos locupletiores esse quam se.

CIC. Laudas illum, *quod* dodrantarias tabulas *instituerit.*

b.

CIC. Hi me idcirco oderunt, *quod* eorum conatus impios *repressi.*

SALL. Antonius pedibus aeger, *quod* proelio adesse *nequibat,* Petrejo exercitum permittit.

CIC. Haec plurimis a me verbis dicta sunt ob eam causam, *quod* his libris *erat* instituta mihi de republica disputatio.

c.

CURT. Monuerunt vates ne intraret, *quia* periculum *portenderetur.*

HOR. Servos projicere aurum in media jussit Libya, *quia* tardius *irent* propter onus.

PLAUT. Mater mea irata est mihi, *quia* non *redierim* domum.

d.

HOR. Rancidum aprum antiqui laudabant, non *quia* nasus illis nullus *erat.*

CIC. Urbs, *quia* postrema aedificata *est,* Neapolis nominatur.

PLAUT. Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est, *quia* nemo fere huc sine damno *divortitur.*

e.

SALL. Idcirco respublica disjecta est, *quo* te custodem *habebat.*

CIC. Non eo dico, *quo* mihi *veniat* in dubium tua fides.

CIC. Non *quo* de tua constantia *dubitem* sed quia mos est ita rogandi, rogo.

359. ***Non quod non*** *(a) breviatur in* ***non quin*** *(b):*

a.

CIC. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, *non quod non* tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos videtis, sed quod laude populari caruerunt.

b.

CIC. Id reprehendere non audeo, *non quin* ab eo dissentiam, sed quod ea te sapientia esse video.

SALL. Publicam miserorum causam suscepi, *non quin* aes alienum solvere possem, sed quod non dignos honore honestatos videbam.

CIC. Iisdem de rebus volui ad te saepius scribere, *non quin* confidam diligentiae tuae, sed rei me magnitudo movebat.

360. Ipsum relativum causam interdum continet:

CIC. Si tibi stultus videor, *qui* sperem; facio tuo jussu.

LIV. Maelium jure caesum pronuntiat, *qui* vocatus a magistro equitum non venisset.

CIC. Tu dies noctesque cruciaris, *cui* non sat est, quod est.

2. Causalis per participium.

† *361. Vim habet aliquando causalem participium praeteritum, vel in ablativo absoluto (a) vel in accusativo cum* ***ob*** *vel* ***propter*** *(b):*

a.

LIV. Regnum haud satis prosperum fuerat, vel *neglectis* religionibus vel prave *cultis.*

CIC. Verendum mihi non erat nequid, hoc parricida civium *interfecto,* invidiae mihi in posteritatem redundaret.

HOR. Cras, *nato* Caesare, festus dat veniam somnumque dies.

b.

LIV. Fabio, *ob perdomitam* Etruriam, continuatur consulatus.

VAL. MAX. Veturius Samnitibus *ob* turpiter *ictum* foedus deditus fuerat.

LIV. *Propter* crebrius eo anno de coelo *lapidatum* libri Sibyllini inspecti sunt.

III. Modus conditionalis.

* *362. Modus conditionalis constat particulis* ***si, dum*** *et aliis cum subjunctivo (a) vel indicativo (b), saepe cum futuro subjunctivo (c) vel indicativo (d):*

a.

CIC. Ego, si cui adhuc videor segnior, *dum* ne tibi *videar,* non laboro.

CIC. Nae tu jam mecum in gratiam redeas, *si scias* quam me pudeat nequitiae tuae.

CIC. Manent ingenia senibus, *modo permaneat* studium et industria.

b.

CIC. Ego animi pendere soleo, *si traducor* alio.

CIC. Mors optanda est, *si* aliquo animum *deducit,* ubi sit futurus aeternus.

CIC. Ea caedes, *si* crimini *datur,* detur ei, cuja interfuit.

c.

CURT. At hercule, *si* paulum *cessaverimus,* in tergis nostris Scythae haerebunt.

LIV. Ferrum in manu est; moriere, *si emiseris* vocem.

PLAUT. *Si dixero* mendacium, meo more fecero.

d.

CIC. *Si* illi bellum facere *conabuntur,* excitandus nobis erit ab inferis C. Marius.

HOR. *Si* dura *morabitur* alvus, pellent obstantia conchae.

CIC. Te nolo ad me venire; ego potius accedam, *si* diutius *impediere.*

363. ***Si non*** *(a) convertitur in* ***nisi*** *(b) aut* ***nisi si*** *(c):*

a.

CIC. Vident agros sibi esse, *si non* vendiderint, relinquendos.

HOR. Quo mihi fortuna, *si non* conceditur uti?

SUET. Deos obsecro, ut te nobis conservent, *si non* populum Romanum perosi sunt.

b.

CIC. Circumspicite omnes procellas, quae impendent, *nisi* providetis.

NEP. Dionis consilio movebatur Dionysius, *nisi* qua in re major ipsius cupiditas intercesserit.

SALL. *Ni* virtus fidesque vestra satis spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset [1].

c.

CIC. Miseros illudi nolunt, *nisi si* se forte jactant.

OV. Vidi praecedere longam ante pedes umbram, *nisi si* timor illa videbat.

CIC. Non est is Quinctius, *nisi si* latitant, qui ad negotium suum proficiscuntur.

364. ***Nisi quod*** *servit excipiendo:*

CIC. Praedia me valde delectant, *nisi quod* me aere alieno obruerunt.

CIC. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, *nisi quod* in philosophia ab eo dissentio.

SALL. Ab negotiis numquam voluptas eum remorata est, *nisi quod* de uxore potuit honestius consuli.

365. ***Sin*** *ponitur in conditionali adversativa:*

CIC. Si suscipis causam, conficiam commentarios; *sin* autem differs, tecum loquar.

---

[1] *Ni* est *nisi*.

SALL. Persuadent, uti Jugurtham maxime vivum, *sin* id parum procederet, necatum sibi traderent.

CIC. Si iniquus es in me judex, condemnabo eodem te crimine; *sin* me id facere noles, te mihi aequum praebere debebis.

366. Ponitur in primariâ saepe indicativus pro subjunctivo:

TAC. Si te privatus adoptarem, et mihi egregium *erat* et tibi insigne.

VAL. MAX. Si te Gracchus templo Jovis faces subdere jussisset, obsequuturusne illius voluntati *fuisti?*

CIC. Quod si putasset, certe optabilius Miloni *fuit* dare jugulum P. Clodio.

367. Desideratur modo particula conditionalis (256, a), modo ipsum conditionatum:

SEN. Si damna irae intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit [1].

GELL. Mihi quidem neque oculi truces sunt neque os turbidum; haec enim, si ignoras, signa esse irarum solent.

CIC. Si inimico testi credi non oportuit; inimicitior Marcello Crassus est.

368. Post ***nisi*** *non subit infinitum (a), nisi subauditur verbum regens (b):*

a.

CIC. Quum a negotiis sevocamus animum, quid tunc agimus, *nisi* animum ad se ipsum *advocamus?*

CIC. Nihil aliud fecerunt, *nisi* rem *detulerunt.*

NEP. Neque aliud quidquam egit Hannibal, *quam* regem *armavit* et *exercuit* adversus Romanos [2].

b.

PHAEDR. Nec quidquam possunt *nisi* meliores *carpere.*

CIC. Quid possumus aliud *nisi mocrere?*

PLAUT. Nihil scit, *nisi* verum *loqui* [3].

---

[1] Nam plena sententia esset: Si damna irae intueri velis, videres nullam pestem pluris stetisse.

[2] Hic *quam* est *nisi.*

[3] H. e.: Nihil scit, nisi *scit* verum loqui.

IV. Modus temporalis.

1. Temporalis per particulas. — 2. Temporalis per participium. — 3. Temporalis per gerundium.

1. Temporalis per particulas.

* *369. Subjunctivae temporales constant ex quatuor vocibus: prima ex praesente vel imperfecto (a); altera ex perfecto vel plusquamperfecto (b); tertia ex iisdem, quam prima, sed compositis ex participio futuro (c); quarta ex iisdem quam secunda, sed compositis sicut in tertia (d):*

a.

MART. Pupam se dicit Gellia, quum *sit* anus.

BRUT. AD CIC. Quum Megaram versus *navigarem,* coepi regiones circum circa prospicere.

PHAEDR. Athenae quum *florerent* aequis legibus, procax libertas civitatem miscuit.

b.

CIC. Quum Carthaginem *deleveris*, exscindes Numantiam.

PLAUT. Ubi senex *senserit* sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum.

CIC. Quum in ejus viri copias se *ingurgitavisset*, exsultabat gaudio.

c.

CIC. Quum Demosthenes *dicturus esset,* concursus audiendi causa ex tota Graecia fiebant.

VELL. Augustus, quum Tiberium *missurus esset* in Illyricum, processit in Campaniam.

LIV. Publilius, quum *dimicaturus* esset, concionem advocari jussit.

d.

CIC. Quum meus interitus nihil *fuerit* reipublicae *profuturus,* criminis loco putant esse quod vivam.

† *370. Temporum harmoniam (a) negligunt qui historico ritu ponunt praesens pro praeterito (b):*

a.

Cic. Quum *essem* Brundusii, litteras *accepi.*

Cic. Quae quum ita *sint, dubitas* abire?

Cic. Gabinius, quum respondere *coepisset*, ad extremum nihil *negavit.*

b.

Liv. Quum frequentem urbem *vidissent, mirantur.*

Sall. Quum de administrando imperio *dissererent*, Jugurtha *jacit* oportere consulta rescindi.

Cic. Quum *occiditur* Roscius, ibidem *fuerunt* servi.

371. Sensus primarius induit aliquando formam secundariam:

Cic. Jam hoc facere noctu apparabant, *quum* matres familiae repente in publicum *procurrerunt*[1].

Cic. Evolarat jam e conspectu quadriremis, *quum* etiam tum ceterae naves uno in loco *moliebantur.*

Liv. Hannibal jam subibat, *quum* repente Romani *erumpunt.*

372. ***Quum*** *fert saepe indicativum (a), maxime futurum (b):*

a.

Cic. An tu eras consul, quum in Palatio mea domus *ardebat?*

Varro. Quum apes jam evolaturae *sunt*, consonant vehementer.

Hor. Non ego, avarum quum *veto* te fieri, vappam jubeo.

b.

Cic. Non facies fidem scilicet, quum haec *disputabis.*

Cic. Quum testes ex Sicilia *dabo*, quem volet ille, eligat.

Cic. Quum per valetudinem navigare *poteris*, ad nos, amantissimos tui, veni.

---

[1] H. e.: Quum hoc facere noctu apparārent, matres familiae procurrerunt.

373. Pro ***quum*** *valet aliquando relativum:*

SALL. Pessime omnium et impudentissime, tibi egestas civium curae est, *cui* nihil sit domi nisi armis partum? [1]

CIC. Quamquam quid ego te invitem, a *quo* sciam esse praemissos, qui tibi praestolentur? [2]

CIC. *Qui* ab adolescentia quaestum sibi instituisset sine impendio, mediocri quaestu contentus esse non poterat.

374. Denique ponitur ***quum*** *pro* ***ex quo*** *(a) vel* ***in quo*** *(b) temporalibus:*

a.

CIC. Multi anni sunt, *quum* ille a me diligitur.

CIC. Aliquot anni sunt, *quum* te non vidi.

b.

CIC. Illucescet aliquando dies, *quum* tu inimicissimi benevolentiam desideres.

CAES. Fuit antea tempus, *quum* Germanos Galli virtute superarent.

2. Temporalis per participium.

* *375. Contracturus primam vocem (369, a), fac participium praesens concordet agenti subjunctivae, quod inveniatur in primaria (a); quodsi non invenitur, efferes participium ablativo absoluto (b):*

a.

CIC. *Aranti* Cincinnato nuntiatum est eum dictatorem esse factum [3].

TAC. Cajum *remeantem* Armenia mors vel dolus oppressit.

NEP. Sic libertate *utens* nullas inimicitias gessit.

b.

CIC. Maximas virtutes jacere necesse est, voluptate *dominante.*

[1] H. e.: Quum tibi nihil sit domi. . . .

[2] H. e.: Quid ego te invitem, quum sciam abs te praemissos. . . .

[3] H. e.: Quum Cincinnatus araret, nuntiatum est *ei*. . . .

TAC. Vivere ego, Britannico *potiente* rerum, poteram?
TER. Nescio quid *absente* nobis[1] turbatum est domi.

376. Temporalem verbi **sum** *contrahes, suppresso verbo et facta praedicati cum supposito concordantia (a), quae fiet in ablativo (b), si suppositum subjunctivae nullum fuerit in primaria:*

a.

SALL. *Mihi* studium fuit *adolescentulo* capessere rempublicam[2].
CIC. Hujus *ego aliemus* consiliis usus sum; *tu* sororis *filius* ecquid ad eum de republica retulisti?
CIC. *Furius puer* didicit, quod discendum fuit[3].

b.

PHAEDR. Ovem rogabat cervus modicum tritici, *lupo sponsore.*
LIV. Sub ortum ferme lucis, *nullo obvio,* in forum veniunt.
NEP. Cicero ea quae, *vivo se,* acciderunt, futura praedixit.

377. Si deerit suppositum, cui praedicatum haereat, efferri hoc solet absolute:

LIV. *Incerto* prae tenebris quid peterent, foede interierunt.
TAC. Juxta *periculoso* ficta seu vera promeret, monuit Liviam.
LIV. Ad Pluvinam est progressus, nondum *comperto* quam regionem hostes petissent.

378. Ablativus absolutus usurpatur aliquando, etiamsi agens subjunctivae reperiatur in primaria:

OV. Lacrymas quoque saepe *notavi, me lacrymante,* tuas[4].
PLAUT. Meas *mihi* ancillas, *invito me,* eripuisti.
SEN. Populo teste fieri credam, quidquid *me conscio, faciam.*

---

[1] Archaismus, pro *absentibus* nobis.
[2] H. e.: Quum ego essem adolescentulus, *mihi* fuit studium. . . .
[3] H. e.: Furius, quum esset *puer*. . . .
[4] H. e.: Quum ego lacrymarer, notavi. . . .

* *379. Altera vox (369, b) ita contrahitur in participium praeteritum, ut hoc haereat patienti subjunctivae, quod reperiatur in primaria (a); si non reperiatur, effertur participium ablativo absoluto (b):*

a.

TER. Verberibus *caesum* te in pistrinum dabo.

SALL. *Laudatum* magnifice pro concione Jugurtham in praetorium abduxit [1].

HOR. Siquis emat citharas, *emptas* comportet in unum, amens dicatur.

b.

HIRT. Utrimque, *acie instructa*, processum est ad dimicandum.

PLAUT. Pallam ad phrygionem fert, *vino epoto* et *parasito excluso* foras.

HOR. Invidiam placare paras, *virtute relicta?*

380. Si patiens nullum fuerit, participium absolute effertur:

CURT. Alexander, *audito* Darium movisse ab Ecbatanis, fugientem insequi pergit.

TAC. Nec ultra *exspectato* quam dum Claudius proficisceretur, cuncta nuptiarum solemnia celebrat.

TAC. In ejus transgressu, multum *certato*, pervicit Bardanes.

† *381. In deponentibus participium praeteritum concordat agenti subjunctivae, quod reperiatur in primaria (a); si non reperiatur, efferes participium ablativo absoluto (b):*

a.

LIV. Cumanae cohortes arte *usae* declinavere paullulum.

CAES. Hanc *adepti* victoriam in perpetuum se fore victores confidebant.

---

[1] H. e.: Quum laudavisset Jugurtham, abduxit *eum* etc.

CIC. Majores res scribere *ingressos* e cursu ipso revocavit voluntas tua.

b.

SALL. Dein milites Bocchi, Sulla omnia *pollicito*, dies quadraginta opperiuntur.

LIV. Castris Romanis Sempronius praeerat, dictatore *profecto* Romam.

PHAEDR. Mus escam putans assiluit et compressus occubuit neci; aliquot *sequutis*, venit et retorridus.

* *382. Tertia vox (369, c) sic contrahitur in participium futurum, ut hoc haereat agenti subjunctivae, quod inveniatur in primaria (a); si non inveniatur, effertur participium ablativo absoluto (b):*

a.

PLIN. Ciconiae *abiturae* congregantur in loco certo.

CURT. Regem in eodem cornu *dimicaturum* tria milia delectorum equitum sequebantur.

VELL. Brutus impetravit a Stratone, ut manum *morituro* commodaret sibi [1].

b.

PLIN. Rex apum, nisi agmine *migraturo*, foras non procedit.

MART. Caesare *venturo*, Phosphore, redde diem.

LIV. Securus admodum de bello erat, tamquam non *transituris* in Asiam Romanis.

3. Temporalis per gerundium.

* *383. Prima vox, si causam vel modum significet, efferri potest gerundio ablativi, sive activo (a) sive passivo (b) sive adjectivo (c):*

a.

SALL. Romani, bella ex bellis *serendo*, magni facti sunt.

---

[1] Cum *patiente* fit in *dus:* HOR.: Disce *docendus* adhuc, quae censet amiculus.

CIC. Quos *fovendo* in communi causa retinere potuerunt, *invidendo* abalienarunt.

CIC. Omnia torquenda sunt ad commodum suae causae, sua diligenter *enarrando*.

b.

LUCR. Annulus in digito subter tenuatur *habendo* [1].

VIRG. Pinguis tellus picis in morem ad digitos lentescit *habendo*.

VIRG. Frigidus in pratis *cantando* rumpitur anguis [2].

c.

CIC. Vester populus sociis *defendendis* terrarum jam omnium potitus est.

CIC. Qui male *gerendo* negotio in vetere aere alieno vacillant.

CIC. Desiderium litteris *mittendis accipiendis*que leniam.

384. Utimur etiam gerundio cum **inter,** *si utriusque verbi actio simul producatur:*

LIV. Ipse *inter spoliandum* corpus hostis veruto percussus exspiravit.

VAL. MAX. Sulpicio *inter sacrificandum* apex e capite prolapsus est.

PLAUT. *Inter* rem *agendam* istam herae respondi, quod rogabat [3].

V. Modus correlativus.

* *385. Correlativus modus constat particulis* **tam, adeo, talis, tantus** *et aliis ejusmodi, quae adsciscunt* **ut** *cum subjunctivo:*

TER. *Ita* comparata est hominum natura, *ut* aliena melius judicent quam sua.

---

[1] H. e.: Quum *habeatur*.

[2] H. e.: Quum cantetur seu incantetur ipse anguis; agit enim eo loco poëta de virtute carminum ad incantandum.

[3] De natura usuque gerundiorum dixi in n. 127 et sqq.

Cic. *Tantum* vini in Hippiae nuptiis exhauseras, *ut* tibi necesse fuerit vomere postridie.

Cic. Eo facto *sic* doluit, nihil *ut* tulerit gravius in vita.

386. Particulas ***tam, adeo, sic*** *saepe omittunt:*

Nep. Atticum praecipue dilexit Cicero, *ut* ne frater quidem ei Quintus carior fuerit.

Nep. Epaminondas fuit disertus, *ut* nemo Thebanus ei par esset.

Cic. Collocabuntur verba, *ut* inter se quam aptissime cohaereant.

387. Pro particula priori ponitur aliquando pronomen:

Liv. Me in *eam* necessitatem adduxit, *ut* reipublicae mihi obliviscendum sit.

Cic. *Hoc* animo semper fui, *ut* invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem.

Cic. *Id* aetatis jam sumus, *ut* omnia fortiter ferre debeamus.

* *388. In locum particulae* ***ut*** *succedit saepe relativum:*

Cic. Nunc intelligo neminem tam stultum fore, *qui* non videat conjurationem esse factam.

Cic. Nemo omnium tam sit immanis, *cujus* mentem non imbuerit deorum opinio [1].

Curt. Nec ulla tam firma moles est, *quam* non excidant undae.

389. Si consequatur negatio, ponitur ***ne*** *(a),* ***ut ne*** *(b),* ***ut non*** *(c):*

a.

Liv. Ita admissi in urbem sunt, *ne* tamen eis senatus daretur.

Cat. Ita aedifices, *ne* villa fundum quaerat neve fundus villam.

[1] H. e.: *Ut ejus* mentem.

PLIN. Pudori candidatorum ita consuluisti, *ne* ullius gaudium alterius tristitia turbaret.

b.

NEP. Adeo veritatis diligens fuit, *ut ne* joco quidem mentiretur.

CIC. Ita possideto, *ut* Quinctio vis *ne* afferatur.

CAES. Tantum a vallo prima acies aberat, *ut ne* in ipsam tela adigi possent.

c.

PHAEDR. Descende, amice; tanta est bonitas aquae, *ut non* voluptas satiari possit mea.

CIC. Sunt ita multi, *ut* eos carcer capere *non* possit.

CIC. Usque eo morosi sumus, *ut* nobis *non* satisfaciat ipse Demosthenes.

390. Pro **ut non,** *si primaria negaverit (212), ponere licet* **quin,** *expressa correlativa (a) vel suppressa (b):*

a.

CIC. Nemo est *tam* impudens istorum, *quin* agi secum praeclare arbitretur.

PLAUT. Haec pater quando sciet, numquam erit *tam* avarus, *quin* te gratis emittat manu.

ENN. Nemo est *tam* firmo ingenio, *quin* exalbescat metu.

b.

PLAUT. Non audeam profecto percontari, *quin* promam omnia [1].

SALL. Neque quemquam arbitror a multis metuendum esse, *quin* ad eum ex multis formido recidat.

TER. Numquam accedo, *quin* abs te abeam doctior.

---

[1] H. e.: Non audeam percontari, *ita ut non* promam.

Appendices.

Appendix ad n. 84 et 86.

391. Si, coëuntibus duabus tertiis personis, fuerit periculum amphiboliae, praecepi referre *suus* ad eam personam, quae sit suppositum; *ejus* ad eam, quae sit terminus. Quaeres utro pronomine utendum sit, quum tertiae personae erunt ambae supposita aut termini. Respondeo reciprocationem nullam fore, quum ambae erunt termini; quia reciprocatio est reversio ad suppositum. Quodsi tertiae personae erunt ambae supposita, ad utramcumque revertatur pronomen, ad eandem fit reciprocatio; quae, si fuerit *immediata,* fiet, ut praecepi in n. 78; si *mediata,* ut in n. 80.

392. Sed quia haec norma impar est vitandae amphiboliae, reciprocum usurpandum non est in sententia, ubi coëunt duo supposita, nisi ex adjunctis arguatur utri revocandum sit.

Scio equidem Sanctium in sua Minerva contendere sublatum iri amphiboliam, si reciprocum ad principale suppositum referatur; sed parum attendit:

393. «Duo ex relativis», inquit, «reciproca sunt *sui* et *suus, quibus tantummodo utemur, quum verbi suppositum prius et principalius referimus;* sed si nulla potest contingere ambiguitas, hoc praecepto non astringimur.» Quae iterat planius infra: «Regula», inquit, «sit, quam sequi *omnino* debemus: Quoties ambiguus poterit esse sermo, *reciprocum ad primum et praecipuum suppositum recurrat*» [1].

[1] Et haec quidem praecepta plerique grammaticorum in suas artes retulerunt.

394. Et Quintilianum *caecutire* ait, qui Ciceronem arguit amphiboliae, quod reciprocum sic posuit, ut nesciretur ad priusne suppositum recurreret an ad alterum. Putavit igitur Quintilianus, id quod ego contendo, relationem reciproci ad *principale* non sufficere vitandae amphiboliae. Refellendus igitur est mihi hoc loco Sanctius:

395. Id praeceptum (393) dat Sanctius ad vitandam amphiboliam; atqui eam non vitat; ergo vanum est. Nam si dixero:

> Cic. Hortensius ex Verre quaesivit cur *suos* familiares rejici passus esset [1],

quum *suos* redire possit ad utrumlibet suppositum (ad principale, ut in illo:

> Phaedr. Hirci indignari coeperunt, quod dignitatem feminae aequassent *suam*,

et ad secundarium, ut in illo:

> Sall. Memmius populum monet, ne libertatem *suam* deserat),

sequitur amphibolia, nisi alicunde sensus discutiatur.

396. Neque id praeceptum homo eruditus ex auctoribus hausisse dicendus est; nam auctores, contra quam Sanctio placet, referunt, si eis libuit, *suus* ad suppositum secundarium; *ejus* ad principale, ut ostendi in n. 83, b et 80, b.

397. Dices fortasse talia me exempla eo loco citasse, in quibus sensus argueretur ex adjunctis; Sanctium vero contendere, si ex adjunctis sensus non arguatur, argui posse ex ipsa reciproci natura, cujus sit recurrere ad *principale* suppositum. Respondeo non esse eam reciproci naturam, ut recurrat ad *principale,* sed ad *suppositum,* sive principale sit (83, a) sive non (83, b). Neque me Sanctius ullis veterum exemplis convincere potest; nam, si talia proferat, in quibus sensus liqueat ex adjunctis, negabo liquere ex reciproci na-

[1] Apud Cic. liquet sensus *ex adjunctis.*

tura; quodsi ex adjunctis sensus non liqueat, non habebit unde me cogat referre *suus* ad principale. Enimvero reciproci natura aliunde cognosci non potest nisi ex veterum exemplis; ex iis autem hoc tantum conficitur reciproci esse recurrere ad *supposita,* sed non ad unum potius quam ad alterum; ergo in duorum congressu nescietur, nisi arguatur ex adjunctis, ad priusne referendum sit an ad posterius.

398. Immo vero reciprocum refertur ad secundarium suppositum commodius quam ad principale; nam considera haec duo:

1. CAES. Ariovistus ait neminem secum sine *sua* pernicie contendisse.

2. PHAEDR. Hirci indignari coeperunt, quod dignitatem feminae aequassent *suam.*

399. Vides in primo reciprocationem esse *immediatam* (71, a), in altero *mediatam* (71, b); sed haec fit promiscue per *suus* ac per *ejus* (80), illa autem difficulter fit per *ejus,* commodissime per *suus* (78); ergo commodius ponitur *suus* in primo quam in altero; atqui in primo *suus* refertur ad secundarium, in altero ad principale; ergo *suus* refertur commodius ad secundarium quam ad principale suppositum. Ergo, si regulam fieri oporteret, contraria Sanctianae facienda fuit.

400. De reciproco autem personali *sui, sibi, se* potest disputari similiter, sed omitto plura afferre, quia satis multa attuli in n. 74 et sqq.; 90 et sqq.

401. Debeo etiam refellere Vallam, cujus praecepta adversantur iis, quae praecepi in n. 81, b. Homo eruditus damnat illud Virgilii: «Nutricem affata Sichaei (Dido); namque *suam* cinis ater habebat.» Quod ait esse poëticam *licentiam* vel operis *imperfectionem.* Sed haec est temeritas Vallae. Ceterum Virgilius eo loco posuit reciprocum, ut ponitur a plerisque omnibus: nam *suus* invenitur frequenter sine re-

ciprocatione: vel quod respicit suppositum *sine reversione* (a), vel quod refertur ad terminum (b) vel ad indefinitum (c) vel ad quidvis, de quo subauditur (d):

a.

CIC. Pactionem ipse et *suus* competitor fecisset.

CIC. Intelligit me ita paratum venire, ut in oculis omnium *sua* furta defixurus sim.

OV. Consul tibi cetera dicet illo facta die, quum *sua* sacra canes.

SEN. Illud tempus, quod amant, breve est breviusque fit *suo* vitio [1].

PLAUT. Si illo advenerit, *suam* sibi rem salvam sistam.

PLIN. Vinea si marcuerit, sarmenta *sua* comburito.

CIC. Paetus omnes libros, quos frater *suus* reliquisset, mihi donavit.

CAT. Vinea si macra sit, sarmenta *sua* concidito.

b.

CIC. Oratorem educere ausus est et in majorum *suorum* [2] regno collocare.

CURT. Erat Dario mite ingenium, nisi *suam* naturam fortuna corrumperet.

OV. Therphnaeo feci de sanguine florem, et manet in folio scripta querela *suo*.

CAES. Caesar expulsos tribunos ad *suam* restituit dignitatem.

SALL. Cornelius et Varguntejus constituerunt Ciceronem domi *suae* imparatum confodere [3].

CIC. Desinant insidiari consuli domi *suae*.

OV. Respice Laërtem, ut jam *sua* lumina condas.

PLAUT. Aliud quidvis impetrabit a me, quam ut non istum pro factis *suis* premam.

---

[1] Vitio amantium, non temporis. [2] H. e.: Oratoris.

[3] Ex iis, quae praecedunt, arguitur domum esse Ciceronis.

In Sall. Quodsi istius vita memoriam vicerit, aliam non ex oratione, sed ex moribus *suis* exspectare debetis.

Sall. Nolite hunc judicare ex operibus *suis*.

c.

Cic. Honestius est alienis injuriis quam *suis* commoveri.

Cic. Habenda est ratio non solum *sua*, sed etiam aliorum.

Cic. Omnia torquenda sunt ad commodum *suae* causae.

Cic. Contentum esse *suis* rebus certissimae sunt divitiae.

d.

Plaut. Sufferet *suus* servus poenas Sosia.

Cic. Haec omnia, isto praetore, civibus Romanis erepta: primum *suae* leges.

Plaut. Ita forma simili, uti mater *sua* non internosse posset.

402. Neque contentus Valla carpsisse Virgilium, accusat soloecismi eos, qui dicunt: «*Sibi* cura est de republica». Non intelligit bonus magister damnari a se principes linguae, qui id pronomen saepius adhibuerunt sine reciprocatione. Exspecta paulisper:

Col. Poma ita dispone, ut scobs inter *se* calcari possit [1].

Cic. Ad illum scribas te nihil recordari de *se*.

Cic. Vos ex M. Fabonio audistis Clodium *sibi* dixisse periturum Milonem triduo.

Plaut. Jussit orare, si *se* amas, ut ad sese venias.

Mart. Sis licet inde *sibi* tellus placata levisque.

Plaut. Excruciavit me herus, quia *sibi* non dixerim.

Cic. Annali litterae tuae pergratae fuerunt, quod curares de *se*.

Cic. Prius quam tu id *sibi* venderes, ipse possedit.

---

[1] Observa *scobem* esse assulas, quae inter poma ad calcandum inseruntur; quare planum est reciprocum referri ad poma.

CIC. Agunt mihi gratias, quod *se* reges appellaverim.

CAES. Rhenum transire constituit, quod auxilia contra *se* Treveris miserant.

CIC. Ratio et oratio conciliat inter *se* homines.

403. Ne Alvarus quidem incastigatus mihi abibit. Quum praecepisset vir doctissimus usum reciproci in reciprocatione *mediata* idque pluribus Ciceronis auctoritatibus ostendisset, subdit ad calcem litteris minoribus, quasi non esset tanti faciendum: «Utuntur *aliquando* scriptores, accedente *altero* verbo (id ego vocavi *mediatam* reciprocationem) demonstrativis pro reciprocis». Quod ut ostendat, alium testem non affert praeter Quintilianum, qui est aetatis argenteae: »Nec ignoravit, quae *eum* manerent pericula». Quae discipuli quum legent, jure putabunt aureo aevo reciproca eo loco, non demonstrativa, posita fuisse. Quod est falsum; nam usus ille demonstrativi in honore fuit etiam aetate aurea. Audi principem aetatis aureae:

CIC. Titus nihil aliud egit nisi ut tu *eum* bonum virum judicares.

CIC. Verres Milesios navem poposcit, quae *eum* praesidii causa Myndum prosequeretur.

CIC. Camillus scribit te cum *illo* loquutum esse.

CIC. Ligarius in provincia pacatissima ita se gessit, ut *ei* pacem esse expediret.

CIC. Nomen civium Romanorum, quantum in *ipsis* fuit, sustulerunt.

CIC. Vas factus est alter, ut, si ille non revertisset, moriendum esset *ipsi*.

CIC. Respondit se meruisse, ut amplissimis honoribus decoraretur, et ut *ei* cibus publice praeberetur.

CIC. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minus fere ad omnes, quam ad *illum* ventura sit, laetitia pervenerit.

CIC. Homo, qui erranti comiti commonstrat viam, quasi de suo lumine lumen accendat; facit, ut nihilominus *ipsi* luceat, quum illi accenderit.

CIC. Neminem adeo infatuare potuit, ut *ei* nummum ullum crederet.

404. Addit Alvarus: »Dicimus: Cepi lupam et catulos *ejus,* non *suos*». Cur, Alvare? »Quia intercedit conjunctio», inquit. Atqui Cicero nihil metuit, intercedente conjunctione, ponere *suus:*

CIC. Oratorem educere ausus est *et* in majorum *suorum* regno collocare.

Talia etiam sunt in n. 401, a, exempla 1^um^ et 4^um^.

405. Denique Valla *non audet dicere:* »Pythagoram venerabantur discipuli *ejus*». Tamen Cicero audet (79):

CIC. Metellum parum pudor *ipsius* defendebat.

Et alia passim.

Appendix ad n. 98.

406. De casu *mea, tua, sua,* qui datur verbis *interest* et *refert,* disputant, utrum sit accusativus an ablativus. Probabilis stat utrimque ratio, sed auctoritas potior pro ablativo. Alii quidem accusativum esse ajunt, quia *interest mea* videtur esse idem atque *est inter mea; refert mea* idem quod *refert negotia mea.* Alii malunt *interest mea* esse quasi *interest in mea re; refert mea* quasi *re mea fert.* Cui sententiae saepe favet ratio scribendi veterum. Auctoritas autem est potior pro ablativo, quia veteres Grammatici, inter quos Priscianus, affirmant esse ablativum. Neque ex numeris Plautinis aut Terentianis, qui afferuntur, potest quidquam extundi; quum versus illi comicorum, quae est eis versificandi libertas, utralibet quantitate constare possint.

Appendix ad n. 130.

407. Attractio gerundiorum in *di* non est admodum rara. Exempla novem attuli suo loco; si vis plura, ecce tibi:

PLAUT. *Nominandi* tibi *istorum* magis erit quam *edundi* copia.

CAES. Neque *sui colligendi* hostibus facultatem relinquunt.

CIC. Dolebis Stoicos nostros Epicureis *irridendi sui* facultatem dedisse.

LUCR. Timent, nequod ob admissum foede *poenarum* sit *solvendi* tempus adactum.

SUET. Eisdem epulum praebuit, permissa jocandi licentia *diripiendique pomorum.*

TER. Date crescendi copiam, *novarum* qui *spectandi* faciunt copiam.

PLAUT. Quoniam *tui visendi* est copia (ad feminam).

Appendix ad n. 212.

408. Equidem jam diu est quod anquiro de particula *quin*; quumque eam, praeeunte negatione, passim inveniam, nusquam reperio secus; itaque eam esse arguo hujus particulae naturam, ut exire in subjunctivam nequeat, nisi praecesserit negatio aut quidvis, quod pro negatione haberi possit.

409. Ex plurimis exemplis, quae congessi, exscribam singula in singulos orationum ordines:

In relativis:

PLAUT. *Nunquam* quisquam meorum majorum fuit, *quin* parasitando paverint ventres suos.

In prohibendo:

CAES. Docent *non* posse milites contineri, *quin* spe praedae in urbem irrumperent.

In abstinendo:

VELL. *Nequeo* temperare mihi, *quin* rem saepe agitatam animo, signem stilo.

In vitando:

NAEV. *Nunquam* hodie effugies, *quin* manu mea moriare.

In permittendo:

LIV. *Non* tulit senatus, *quin* sine mora voti liberaretur.

In suadendo:

PLAUT. *Nunquam* aedepol me quisquam exorabit, *quin* tuae uxori, uti gesta sint, eloquar.

In correlativis:

CIC. *Nunquam tam* male est Siculis, *quin* aliquid facete dicant.

In iisdem, tacito *sic:*

PLAUT. *Non* audeam profecto percontari, *quin* promam omnia.

In dubitando:

TAC. *Nec* diu anquirendum, *quin* Agrippina claritudine generis anteiret.

In eventu:

VIRG. *Nihil* abfore credunt, *quin* omnem Hesperiam sub juga mittant.

In convenientia:

PLAUT. Neque aequum videtur, *quin,* quod peccaverim, potissimum mihi id obsit.

In causalibus:

CIC. Huic quantum credendum sit vide; *non quin* possint multi esse provinciales viri boni; sed id sperare licet, judicare periculosum est.

In iisdem aliter:

PLAUT. Ni istum cepi, *nulla* causa est, *quin* me condones cruci.

Cum *non possum:*

PLAUT. *Haud possum, quin* huic operam dem hospiti.

Cum *nequeo:*

PLAUT. Heu, heu *nequeo quin* fleam, quom abs te discedo.

In iisdem, adjecto *facere:*

CIC. *Facere non potui, quin* tibi sententiam declararem meam.

Atqui haec passim reperiuntur; nunquam secus.

410. Mirum quin, quia semper est ironicum, est quasi *non mirum quin,* sublata ironia[1]:

PLAUT. *Mirum quin* tua me causa faciat Jupiter Philippum regem, trivenefica.

Quae dicta sunt ancillae ab hero; ergo sunt ironica; essentque, sublata ironia: Non est mirum quin (h. e. quod non) faciat me Jupiter regem, respectu tuo. Talia sunt cetera; saltem quindecim comoediarum Plauti, quum observassem, omnes locos, ubi scribit «*mirum quin*», semper vidi esse ironicos.

411. Est haec igitur, mihi crede, norma, quam sequi omnino debes; ut in oratione *secundaria* nunquam ponas *quin,* nisi praecesserit in primaria negatio aut quidvis, quod pro negatione habeatur. (212).

412. Atque hanc sententiam, quam nullo auctore ingressus eram, jam nactus Guardia et Wierceyschi, summa eruditione grammaticos, pergam fidentius tueri[2].

413. Video huic praeceptioni oppositum iri multorum auctoritatem, qui habentur litterati et non verentur dicere: «Feci hos versus, *quin* consulerem lexicon» «Veni ad te, *quin* me vocares» et similia. Sed in re comperta non moveor aliorum exemplo, praesertim illorum, qui, nulla fulti auctoritate, vulgi consuetudine caece ducuntur[3].

Appendix ad n. 222 et sqq.

414. Utrum omnis genitivus sit possessionis, omnis dativus acquisitionis, disputant magna jactura temporis et exigua utilitate. Quae in utramque partem afferuntur, sunt probabilia, sed ad usum scribendi nihil pertinent. Tu disce, quibus

---

[1] Aut, si mavis, esto exceptio regulae.

[2] »Cette particule *(quin)* suit une principale negative».

[3] Nequid dissimulare videar, inveni apud Tacitum: »Veranius morte prohibitus est, *quin* bellum proferret.» Sed hoc instar est corvi candidi.

locis ponendus sit genitivus, quibus dativus, et permitte philologis nomenclationem.

415. De pluribus etiam aliis controversiam faciunt: sintne verba neutra aliqua an nulla; interjectio sitne inter partes orationis computanda; utrum, quae in *u* vocantur supina, vocari potius debeant substantiva; utrum casus septimus admittendus sit; utrum ablativus, qui absolutus dicitur, ab occulta praepositione regatur; utrum gerundium nominativi nullum sit; utrum superlativa comparent.

Haec ego et alia id genus tractanda iis relinquo, quibus otiosis esse licebit.

Appendix ad n. 249.

416. Ponitur verbum impersonaliter, quum nulli supposito concordat; ut *taedet, pudet; itur, sedetur; puditum est, itum est, ventum est.* Non dicimus *tu pudes* aut *taedes;* nec *tu iris, veniris, sederis;* nec *puditus es, itus es, sessus es.* Quare Cicero, qui dixit: «Occurritur nobis a doctis», non dixisset: *Occurrimur nos a doctis;* quia voce activa non dicitur *docti occurrunt nos,* sed *nobis.*

417. Cognatae significationis vocantur illae voces, quarum notio similis est seu cognata, ut: *dormio somnum; vivo vitam* aut *aetatem; eo iter; pugno pugnam; servio servitutem.* Quumque verba neutra solos accusativos cognatae significationis admittant in voce activa, iis solis concordant in passiva. Quare dices passive: *vivitur aetas; dormitur somnus; pugnatur pugna* et alia ejusmodi. Sed non dices: *vivitur domus, dormiuntur sex horae.* Tamen Ovidius dixit: *noctes vigilantur amarae.* Et participium passivum neutrorum audacius concordaverunt alii. Rem *cohaesam* dixit Gellius; *occasam* Plautus; *recessam* Vitruvius; *decretam* (a *decresco*) Plinius; *discessam* Caelius; sed haec sunt monstra.

Appendix ad n. 301.

418. Ne illa tibi constructio rara fortasse videatur, exscribam aliquot exempla ex plurimis, quae collegi:

PHAEDR. Fruere, *quae* laudas, canis.

VIRG. Vinxerat et post terga manus, *quos* mitteret umbris inferias.

PLAUT. Perdormisco, si resolvi argentum, *cui* debeo.

CIC. Habet populus Romanus, ad *quos* gubernacula reipublicae deferat.

CIC. Nego esse jus, *qui* miles non sit, pugnare cum hoste.

CIC. Dicunt contra, *quibus* invitissimis imperatum est.

CAT. Salicem circum arundinetum serito, ut sit *quî* vineam alliges.

LIV. Fuere *quos* inconsultus pavor nando capessere fugam impulerit.

PLAUT. Cupio dare mercedem, *qui* illum commonstret mihi.

CIC. Sunt apud *quos* adstrictum dicendi genus plus fidei meretur.

HIRT. Alteram insulae partem aggreditur Caesar, magnis praemiis propositis, *qui* primum insulam cepissent.

VELL. Mihi festinanti exprimere non vacat neque *cui* vacat potest.

419. Docet Alvarus antecedens et consequens ea lege taceri posse, ut alterum necessario exprimatur; quod est verum in illis antecedentibus, quae, si taceantur, non possunt subaudiri; in illis autem, quae subaudiri possunt, non est dubium, quin taceri possint. Ait Cicero: *Sunt homines, quos non pudet infamiae suae.* In qua oratione antecedens *homines* supprimi potuit in hunc modum: Sunt *quos* non pudet infamiae suae; sicut in illo Horatii: Sunt *quos* curriculo pulverem collegisse juvat.

Appendix ad n. 326.

420. Istiusmodi attractiones dativi sunt frequentiores, quam vulgo opinantur. Ne forte pauciores tibi videantur, quas suo loco attuli, afferam plures:

CIC. Licuit esse *otioso* Themistocli.

LIV. Illis licet esse *ignavis.*

PLAUT. Per hanc tibi coenam *incoenato* esse hodie licet.

VELL. Mihi fratrique meo destinari *praetoribus* contigit.
CAES. Licet illis *incolumibus* discedere.
TER. Animo impero esse *otioso*.
HOR. *Mediocribus* esse poëtis non dii concessere.
CIC. Cur esse *liberis* non licet?
CIC. Ut tibi liceret *innocenti* vitam degere.
LIV. Illis decurrere ex Capitolio *armatis* in hostem licuit.
CLAUDIAN. Natura *beatis* omnibus esse dedit.
OV. Vobis *immunibus* hujus esse mali dabitur.
HOR. Mutatis discedite partibus; atqui licet esse *beatis*.
OV. An magis *infirmo* non vacat esse mihi?
OV. Jovis esse *nepoti* contigit hoc uni.

Appendix ad n. 330.

421. De verbis *intellectus* et *linguae* non convenit inter praeceptores. Valla in suis Elegantiis laudat usum particulae *quod*. «Verbis», inquit, «opinionis et scientiae damus indicativum cum *quod: Opinor, quod pater tuus aut mortuus est aut graviter aegrotat.*» Quam sententiam sequuntur Erasmus et Perizonius. Contra Sanctius in Minerva: «Nihil est», inquit, «tam barbarum apud Latinos, quam *dico quod, intelligo quod*». Tu tene mediam viam et maxime barbaram ne dixeris eam constructionem, qua usi sunt aliquando idonei auctores (330, b).

Appendix ad n. 331.

422. Cave permiscueris particulas *aut, vel, ve* et *an, utrum, ne* (encliticam); illae in absolutis, hae in conjunctivis usurpantur. Quare dices quidem: accepi binas *vel* ternas litteras; sed non: nescio utrum acceperim binas *vel* ternas; immo: binas *an* ternas.

423. Neque objicias mihi illa:

CIC. Qui ignorans albus ater*ve* fueris . . .; nam in editione Lipsiana, quae est omnium accuratissima, legitur: albus ater*ne*.

Item illa:

NEP. Quum interrogaretur, utrum patrem matrem*ve* pluris faceret: matrem, inquit.

HOR. Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos, majora minora*ve* fama?

HOR. Quid interest in matrona, ancilla, pecces*ve* togata.

CAES. Neque interesse ipsosne interficiant impedimentis*ve* exuant.

De quibus consului accuratissimas editiones et inveni non *ve*, sed *ne*.

Appendix ad n. 336.

424. Docent vulgo verbum *jubeo* alium modum non ferre praeter infinitivum, quod est aperte falsum. Attuli suo loco exempla satis multa; sed si vis plura, ecce tibi:

LIV. Senatus jussit, *ut* classem in Italiam *trajiceret*.

TAC. Eis jusserat, ut instantibus *resisterent*.

CAES. Militibus suis jussit, ne qui eorum *violarentur*.

OV. Ea se in praecordia *condat* sacrilegi jube.

HIRT. Quod ne *fieret*, consules jusserunt.

VIRG. Jubeto, ut *certet* Amyntas.

OV. *Rescribat* multa jubeto.

PLAUT. Jube famulos rem divinam mihi *apparent*.

TAC. Britannico jussit *exsurgeret* et cantum aliquem *inciperet*.

APUL. Aegrum jubebat, uti *sit* animo bono.

LIV. Onerati promissis jubentur, ut fidem popularibus *facerent* praedandi causa se urbe egressos.

SUET. Vitellius jubebat intra kalendas octobres urbe Italiaque mathematici *excederent*.

LIV. Jussit, ut, quae venirent naves, Euboeam *peterent*.

APUD GELL. Velitis jubeatis, uti L. Valerius L. Titio jure legeque filius *siet*.

Appendix ad n. 347.

425. «Timeo *ut non*» probatur Annotatori Nebrissensi et Sanctio; quorum alter vult valere pro «timeo *ne*»; alter,

pro «timeo *ut*». Neutri assentior, quia «*timeo ut non*» videtur non inveniri apud auctores classicos.

426. Venio ad Annotatorem. Docet homo eruditus dicendum esse «timeo *ne*», quum «timentur fugienda», subditque infra: «timeo *ut non*» esse idem, quod «timeo *ne*»; ergo «timeo *ut non*» dicitur, etiam quum «timentur fugienda»; ergo, quum opinantur dixisse Ciceronem: «Vereor, *ut* hoc *non* perinde intelligi auditu possit, atque ego cogitans sentio» [1], «*posse intelligi*» erat aliquid fugiendum Ciceroni; quod est aperte falsum.

427. Neque plus momenti videtur habere opinio Sanctii; nam absurde contenditur idem esse «timeo *ut*» quam «timeo *ut non*». Deinde exemplorum, quae affert Sanctius habentia *ut non,* alia egomet vidi in optimis libris sine *non;* cetera Perizonius discussit.

---

[1] In optimis libris deest *non*.

SUMMA SYNTAXICA

CUM THEMATIS

AD EXERCENDUM.

AUCTORE

MARIO LAPLANA,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCIV.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI ET MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

SUMMA SYNTAXICA

CUM THEMATIS

AD EXERCENDUM.

AUCTORE

MARIO LAPLANA,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

PARS SECUNDA:

THEMATA AD EXERCENDUM.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCIV.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI ET MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

INDEX
THEMATUM AD EXERCENDUM.

LIBER TERTIUS.

THEMATA AD EXERCENDUM.

CAPUT PRIMUM.

Themata primi gradus.

Pag.

Concordantia nominis substantivi 177
Concordantia nominis adjectivi 177
Concordantia pronominis relativi 178
Concordantia verbi 179
Constructio nominis substantivi 180
Constructio nominis adjectivi 181
Adjectiva cum genitivo 181
Partitiva et numeralia 181
Adjectiva cum dativo 182
Adjectiva cum ablativo 182
Adjectiva comparativa 182
Adjectiva superlativa 183
Constructio pronominis 183
Constructio verbi 185
Verbum substantivum 185
Verba cum genitivo 185
Verba cum dativo 186
Verba cum altero accusativo 187

Pag.

Verba cum ablativo 188
Verba cum ablativo et praepositione 188
Constructio participii 189
Constructio gerundii 190
Constructio supini 191
Constructio ceterorum verbalium 191
Constructio adverbii 192
Constructio praepositionis 193
Constructio conjunctionis 195
Constructio interjectionis 196
Casus 197
Voces verbi 199
Modi verbi 199
Tempora verbi 200
Relatio loci 201
Relatio temporis 202
Relatio spatii 203

Oratio verbi substantivi et adjectivi 203
Constructio relativi 204
Contractio in participium 206
Infinitum generatim 206
Infinitum singulatim 207
Attractio et rejectio infiniti 210
Verba intellectus, linguae et sensus 210
Verba dubitativa 211
Verba voluntativa et hortativa 212
Verba eventus et convenientiae 213
Verba affectiva 213
Verba timoris 214
Verba prohibitiva 215
Modus finalis 215
Finalis per particulas 215
Finalis per participium 216

Pag.
Finalis per gerundium 216
Finalis per supinum 217
Modus causalis 218
Causalis per particulas 218
Causalis per participium 218
Modus conditionalis 218
Modus temporalis 219
Temporalis per particulas 219
Temporalis per participium 220
Temporalis per gerundium 222
Modus correlativus 222

CAPUT SECUNDUM.

Themata secundi gradus.

De animantibus (Cic.) 224
De sensibus (ib.) 224
Cyrus colens agrum (ib.) 225
Pugna contra immanem anguem (Apud Lhom.) 225
Nex Vitellii (Suet.) 226
Sepultura philosophi (Cic.) 226
Opes non sunt bona (ib.) 227
Dimicatio cum feris (Curt.) 227
Dionysius irridet deos (Cic.) 228
Mansuetudo Antigoni regis (Sen.) 228
Excidium Carthaginis (Apud Lhom.) 229
Triumphus Pauli Macedonici (ib.) 229
Scipio puerum captivum remittit ad suos (Liv.) 230
Hannibal dolo grassatur (Nep.) 231
Ciceronis eruditio (Tac.) 231
Hannibal callide servat aurum (Nep.) 231
De usu temporis (Sen.) 232
Crudelitas Vedii (ib.) 232
Integritas Gracchi (Gell.) 233

Pag.

Hannibal cavillatur cum rege Antiocho (Gell.) 233
Epistola familiaris Ciceronis Attico (Cic.) 233
M. Tull. Cicero Tironi S. P. D. (ib.) 234
Coërcenda ira (Sen.) 235
De piscium ingeniis (Plin.) 235
Mores Africae (Sall.) 236
Nex Caesaris (Suet.) 236
Mores Attici (Nep.) 237
Parrhasius (Plin.) 237
Res in Hispania ab Romanis gestae (Flor.) 238
Caesar Augustus (ib.) 239
Colossus Rhodi (Plin.) 239
Coronae (Fest.) 239
Monumentum Mausoli (Plin.) 240
Senectus non avocat a rebus gerendis (Cic.) 240
Antonius vomens (ib.) 241
Propositio contra Verrem (ib.) 241
Verres spoliat Hejum (ib.) 242
Pamphilus suos scyphos servat (ib.) 242
Verres annulum eripit Valentio (ib.) 243
Veteres de causis mundi (ib.) 243
Mors Marii (Apud Lhom.) 244
Jus fetiale (ib.) 244
Brutus osculans terram (ib.) 245
Marius in carcere (ib.) 245
Demonstratur exsistentia Dei (Cic.) 245
Vanitas deorum (ib.) 246
Iter gruum (ib.) 246
Artificium vocis (ib.) 246
Utilitas manuum (ib.) 247
Diagoras atheus (ib.) 247
Veteres de animo (ib.) 248
Doctrina Stoicorum (ib.) 248
Visum nocturnum (Val. Max.) 249
Cicero pascitur litteris. Cicero Attico s. (Cic.) 250

Pag.
Cicero de libris suis. Cicero Attico s. (Cic.) 250
Rumores. Cicero Attico s. (ib.) 250
De scriptis suis. Cicero Attico s. (ib.) 251
Aliqua curiosa. Cicero Attico s. (ib.) 251
Athei (ib.) 252
Fabula Menenii (Apud Lhom.) 252
Luxus Luculli (ib.) 252
Cincinnatus ex aratore dictator (ib.) 253
Perfidia ludi magistri (ib.) 254
Humanitas Pyrrhi (ib.) 254
Scipio virginem de captivis restituit (ib.) 255
Graeculus epigramma Augusto offert (ib.) 255
Gracchorum educatio (ib.) 255
Prodigia (Liv.) 256
Mores Germanorum (Caes.) 256
Pugna pro tumulo (ib.) 257
Vindemia (Varro) 257
Canis villaticus (Colum.) 258
Qualis debeat esse villicus (ib.) 258
Ad L. Valerium (Cic.) 259
Ad M. Caelium (ib.) 259
Ranae (Plin.) 260
Gypsum (ib.) 260
Theatrum Scauri (ib.) 261
Pyramides Aegyptiae (ib.) 261
Tabula picta (ib.) 261
Pretium tabularum (ib.) 262
Mendacium Ciceronis (Gell.) 262
An sapiens irascatur (ib.) 263
Vetus parsimonia (ib.) 263
Infans a matre nutricandus (ib.) 264
Multorum sympathia cum luna (ib.) 264
De esuritione (ib.) 265
Deest oleum in coena (ib.) 265
Adolescens jactans philosophiam (ib.) 266

Pag.

Diogenes ad dialecticum (Gell.) 267
Socrates de uxore rixosa (ib.) 267
Annuli gestatio (ib.) 267
Atticus adit hereditatem (Nep.) 268
Solertia Eumenis (ib.) 268
Epaminondas accusatus se defendit (ib.) 269
Mores Alcibiadis (ib.) 269
Lysandri deceptio (ib.) 270
Liberalitas Cimonis (ib.) 270
Materia dicendi (Tac.) 271
Educatio vetus (ib.) 271
Educatio recentior (ib.) 272
Oratores Latini (ib.) 272
De usu figurarum (Quint.) 273
De ornatu stili (ib.) 273
De auctorum imitatione (ib.) 274
Bonus praeceptor (ib.) 274
De usu temporis (Sen.) 275
De usu divitiarum (ib.) 275
Sana consilia non differenda (ib.) 276
Satis longa vita est (ib.) 276
Vana concursatio (ib.) 277
Fortuna est versatilis (ib.) 277
De paupertate (ib.) 278
Delectus amicorum (ib.) 278
Stulti facile irascuntur (ib.) 279
Crudelitas Cambysis (ib.) 279
Omen catellae (Cic.) 280
Annulus Gygis (ib.) 280
Ira Cn. Pisonis (Sen.) 281
Damna irae (ib.) 281
Notatio irae (ib.) 282
Exercitus Alexandri apud barbaros (Curt.) 282
Medicus Alexandri (ib.) 283
Fabulae Plinianae (Gell.) 284

Pag.
Adolescens veterem sermonem affectans (Gell.) 284
Pars Africae interior (Pomp. Mela) 285
India (ib.) 285
Scythia (ib.) 286
Sarmatae (ib.) 286
De maris accessu ac recessu (ib.) 286
Descriptio Hispaniae (ib.) 287
Mores Thracum (ib.) 287
Mores barbarorum (ib.) 288
Pyrrhus hostem laudat (Apud Lhom.) 288

CAPUT TERTIUM.

Themata tertii gradus.

Hannibal transit Alpes (Liv.) 289
Sallustius contra Ciceronem (Sall.) 290
Iratus dictator magistro equitum (Liv.) 292
Transitus Apennini (ib.) 295
Elephanti Rhodanum trajiciunt (ib.) 296
Oratio Catonis, ut sontes capitis damnentur (Sall.) 297
Res militaris praestat juris prudentiae (Cic.) 298
Oratio Marii ad Quirites (Sall.) 299
Conjuratio de recipiendis regibus (Liv.) 300
Oratio Catilinae in acie (Sall.) 301
Hannibal petit pacem (Liv.) 302
Eloquentia Ciceronis (Quint.) 303
Socratis de sua virtute oratio (Sen.) 304
De loco fundi (Colum.) 304
De aqua (Colum. et Plin.) 305
Quomodo arandum (Colum.) 306
Domitura buculi (ib.) 306
Moritur uxor Darii (Curt.) 307
Descriptio Babylonis (ib.) 308
Periculum lembi in amne (ib.) 309
Descriptio duelli (ib.) 310

Pag.

Caesar renuit pugnare (Caes.) 311
Sumptus Caligulae (Suet.) 311
Hannibal deludit Romanos (Liv.) 312
Occiditur filia Hieronis cum neptibus (ib.) 313
Convivium litteratum (Gell.) 314
Cerva Sertorii (ib.) 315
Mensura agri (Colum.) 315
De messe (Varro) 316
De olea (ib.) 316
Alexander veneno exstinguitur (Curt.) 317
Clementia Caesaris (Sen.) 318
A multis teritur tempus (ib.) 319
Massinissa, victo Syphace, venenum dat Sophonisbae, sibi recens nuptae (Liv.) 320
T. Manlius filium suum capite plectit (ib.) 323
Quaerenda vita beata (Sen.) 325
De causis rerum (ib.) 325
Eruditio oratoria (Tac.) 326
Profligatio Caesaris (Caes.) 327
Caesar Pompejum hortatur ad pacem (ib.) 327
Pugna cum facibus (Liv.) 328
Capitolium servatur (ib.) 329
Matronae spargunt venena (ib.) 330
Legio linteata (ib.) 330
Initur consilium occidendi Hannibalis (ib.) 331
Terror in urbe, Hannibale propinquante (ib.) 332
Excidium Astapae (ib.) 333
Corrupti civium mores (Sall.) 333
Conjurati strangulantur (ib.) 334
Mariani milites murum subeunt (ib.) 334
Voluptas agriculturae (Cic.) 335
Utilitas amicitiae (ib.) 336
Utilitas parsimoniae (ib.) 337
«Cedant arma togae» (ib.) 337
De scribendo ante dicendum (ib.) 337

Pag.

Dotes oratoriae (Cic.) 338
Eloquentia Antonii (ib.) 339
Eloquentia Crassi (ib.) 339
Educatio oratoria Ciceronis (ib.) 340
Veteres de divina providentia (ib.) 341
Exsistit Deus (ib.) 342
Cursus astrorum (ib.) 342
De ratione naturae (ib.) 343
Mundus non casu factus est (ib.) 343
Ordo mundi (ib.) 344
De stomacho et aspera arteria (ib.) 345
Vasa a Diodoro conatur Verres furari (ib.) 346
Simulacrum Dianae furatur Verres (ib.) 347
Simulacrum Mercurii furatur Verres (ib.) 347
Conatur Verres auferre simulacrum Herculis (ib.) 348
De triplici genere columnarum (Vitr.) 349
Curatio phthisis (Cels.) 350

Corrigenda.

pag. 8 (nota 2) lege n. 300 pro n. 305.
pag. 11 (nota 1) lege n. 222 pro n. 224, et n. 242 pro n. 244.
pag. 15 (nota 1) lege n. 137 pro n. 139.
pag. 33 (n. 92) lege n. 83 et 90 pro n. 83.
pag. 34 (nota 3) lege n. 295 pro n. 232 et sqq.
pag. 36 (n. 99) lege n. 64 pro n. 63.
pag. 45 (n. 121, d) lege repuli pro reppuli.
pag. 51 (n. 133) lege Carthaginienses pro Carthaginiensis
pag. 51 (nota 2) lege Durius illud pro Durius illud Ulp.
pag. 64 (n. 172) lege n. 43 pro n. 45.

Liber Tertius.

THEMATA AD EXERCENDUM.

CAPUT PRIMUM.

THEMATA PRIMI GRADUS.

Concordantia nominis substantivi.

Num. 1—4.

428. Cartejam, urbem opulentam, caput gentis ejus, Hannibal expugnavit. — Sempronius, mel ac deliciae tuae, litteras Messanam ad nos dedit. — Volsinii, Etruriae oppidum, incendio perierunt.

429. Arpini, Volscorum oppido, natus est M. Tullius. — Cajetae, veteri urbe, exsulavit C. Mummius. — Argis, in Graecorum urbe, litterae floruerunt.

430. Duo fulmina imperii, Cnejus et Publius Scipiones, exstincti sunt. — Aegyptus, vitiorum genitrix, hos mores induxit. — Adscisces nova verba, quae genitor produxerit usus.

Concordantia nominis adjectivi.

Num. 5—15.

431. Hannibal deversatus est apud Sthenium Pacuviumque, *inclytos* nobilitate et divitiis. — Septem pueri totidemque virgines *adhibiti* ad coenam sunt. — Rex regiaque classis eodem die sunt *profecti*.

432. Neque Tullius neque Terentia ejus *graecanica* fuit. — Plerosque velocitas et natura loci *tutata* sunt. — Antonius sororque ejus *indigni* sunt vinculis.

433. Jupiter cum Junone de Saturno *nati* sunt. — Marius cum Sylla odio ab Romanis *habiti.* — Catilina cum suis conjuratis *profligatus* a Petrejo est.

434. Picenum Mantuaque *proxima* est Siculo freto. — Legati litteraeque *mittendae* fuerunt. — Frater et soror *praediti* sunt ingenio.

435. Jovem et Junonem colunt, quod *eorum* nutu putant regi orbem. — Minuta plebs *oppressi* sunt tribunitia potestate. — Ingens turba *effusi* ad valvas aditum intercludebant.

436. Rhodanus, fluminum *celerrimus,* alluit hostium oras. — Elephas, *maximum* animalium, nascitur in Africa. — Pavones, avium *pulcherrimae,* inficete canunt.

437. Millia nummûm in eos ludos *impensi* sunt. — *Capta* in proelio sunt annulorum tria millia. — *Caesi* sunt in acie Helvetiorum duo millia.

438. Is morbus amentia *appellata* est. — Furor poëtarum oestrum a Graecis *vocatus* est. — Non omnis cupiditas vitium est *dicenda.*

439. Ex socordia praemium petere, *ea* vero insolentia est. — Ait Plato, negat Aristoteles; *ea* autem sunt bina philosophiae lumina. — Pedem in acie referre, *ea* demum ignavia est.

440. Haustus *calidae* nauseam creat. — Scipio exercitum ad *hiberna* deduxit. — Aeneas in *altum* vela fecit.

Concordantia pronominis relativi.

Num. 16—24.

441. Pompejus id bellum, *quo* omnes gentes premebantur, aestate confecit. — Litteras tuas legi, *quas* mihi Philotimus reddidit. — Non sum ego is, *qui* miseros superbia opprimam.

442. Vel virtus tua vel vicinitas, *quod* ego in propinqua parte amicitiae pono, facit, ut te moneam familiariter. — Hoc tua parvi refert, *qui* rude donatus es. — Solatium vestrum, *qui* injuria afflictamini, mihi curae est.

443. Sylla dictatore, plebs suis fortunis vitaeque, *quae* sunt homini carissima, timere coepit. — Exactus est Tarquinius uxorque ejus, *quorum* alter senatui invisus erat, altera populo. — *Quos* misisti Brundusium pueros, ii epistolam mihi tuam reddiderunt.

444. Locus est non longe ab Alexandria, *qui* Delta nominatur. — Pompejus, *quae* fuit gloria nostri imperii, superatus a Caesare est. — Locus est in carcere, *quod* Tullianum appellatur. [1].

Concordantia verbi.

Num. 25—32.

445. Ego patriam meo periculo *servavi,* vos salvi sine periculo esse non *curatis.* — Remus et Romulus de imperii primatu auguria *consuluerunt.* — Marius et Sylla Romanam *vexavit* civitatem.

446. Neque ego neque tu vim cuiquam *attulimus.* — Tu fratresque tui functi *estis* officio. — Et ille et nos vestram causam *suscepimus.*

447. Tullius cum Petrejo conjuratos *oppresserunt.* — Catilina cum sociis sceleris in proelio *caesi sunt.* — Terentia cum sorore *facta est* compos voti.

448. Maxima pars vatum *decipimur* specie recti. — Turma equitum castra *invadunt.* — Dextrum cornu *fecerunt* in Romanos impetum.

449. Sua quisque negotia *agitant.* — Suos quisque mores maxime *sequuntur.* — Uterque me in suam sententiam *duxerunt.*

450. Uterque senator *pollebat* apud populum gratia. — Liberi Volumniae alius alio casu *cecidit.* — Sorores Scauri alia alio *interierunt* fato.

451. M. Tullius togam, C. Marius sagum *dilexerunt.* — Tullius dicendo, Caesar proeliando Romanam *auxerunt* civitatem. — Rhodanus Francicos, Iberus Hispanos agros *alluit.*

[1] Cetera de relativo exercitia habes in n. 683 et sqq.

452. Si tu haec feceris, omnes laudabunt; si ego, a plerisque reclamabitur. — Nemo tuam, multi sororis tuae virtutem *admirantur*. — Non tam Claelia equo evadens, quam tu servans domi in honore fuisti.

Constructio nominis substantivi.

Num. 33—38.

453. Hoc fuit initium *salutis Atticorum*. — Cupido *praedae* transversos egit *Carthaginiensium* duces. — Jugurtha ambitione *regni* Hiempsalem interfecit.

454. C. Fabius adolescens exiguo *corpore* fuit, sed magno *robore*. — Horatius Cocles inclyta *fortitudine* miles patriam periculo liberavit. — Agesilaus, summae *virtutis* imperator, in portu Menelai decessit.

455. C. Zitii orationes *tantum argutiarum* et *urbanitatis* habent, ut paene stilo Attico scriptae esse videantur. — Scire velim *quid animorum quidve spei* habeatis. — Rex in castris *reliquum hiemis* traduxit.

456. *Quid mulieris* uxorem habet Phormio? — *Quid consilii* caperent obsessi nesciebant. — Numquam Scipio *plus* militi *laboris* imposuit, quam sibi sumpsit.

457. Penetrare in *interiora urbis* Poenus non est ausus. — Per *salebrosa viarum* iter ingressi sunt Samnites. — Hannibal per *ardua montium* duxit elephantos.

458. *Antiqui poëtarum* negligebant in carmine numerum. — *Lanarum nigrae* nullum colorem bibunt. — *Multi Graecorum* terga verterunt.

459. Nunc mihi *tua fide* opus est. — Usus erat socrui viginti *minis*. — Vos videritis opusne sit *hac repudiata* an *remissa* domum.

460. Eloquere *quanto argento* tibi sit opus. — *Decem talenta* opus imperatori erant. — Ad bellum Asiaticum *multae impensae* opus fuit.

461. Opus erat *componere* cum Romanis bellum. — *Quibus rebus confectis* opus erit, eae intra parietes conficiantur. — Si tempori ad castra veniendum erat, *properato opus* fuit.

Constructio nominis adjectivi.

Adjectiva cum genitivo.

Num. 39—41.

462. Scaevola omnium *consiliorum* factus erat *particeps.* — Antonius, *consors vitiorum* fratris, *virtutum* ejus *expers* fuit. — Unus Decius Magius erat *exsors foederis Punici.*

463. Indoctus pilae, trochive quiescit. — Scipio *prudens impendentium malorum* se ad hiberna recepit. — Orae illae australes *olei* quidem *fecundae* sunt, sed *vini steriles.*

464. Cato *re rustica eruditus* scripsit de agris colendis. — Adolescens *doctrina* egregie *instructus* scribendi expers erat. — Lucullus *bonis artibus institutus* praeclara facinora bello confecit.

465. Varro *praeceps animi* conseruit cum hoste manum. — *Purus sceleris* non eget Mauri jaculis. — Consul *consilii ambiguus* collegam consulendum censuit.

Partitiva et numeralia.

Num. 42—45.

466. Plerique Samnitium in proelio ceciderunt. — *Aliqui sociorum* ad Hannibalem defecerunt. — *Nonnullos Carthaginiensium* Scipio in gratiam recepit.

467. Nulla de virtutibus regum quam clementia admirabilior est. — Quatuor et septuaginta *ex equitibus* in flumen dejecti sunt. — Video adesse aliquos *de grege* Epicuri.

468. Verres quingentos *Siculorum* in vincula conjecit. — *Nongentos fugitivos* Pompejus persequutus est. — *Sexaginta Romanorum* capti sunt per insidias.

469. Mille equites deditionem fecerunt. — *Centum naves* tectas et *peditum decem millia* rex in Asiam miserat. — *Sestertiorum plus mille* in eam coenam Dolabella impendit.

470. Pridie idus junias *litteras* abs te *binas* accepi. — Haec elementa vel *pueris e ludo* cognita sunt. — *Flamen e sacerdotio* Herculis Clodium ab aris prohibuit. —

Adjectiva cum dativo.

Num. 46—47.

471. Quaerendum est quid sit *aptum personis,* temporibus et locis. — Nihil est *aptius* in historia *ad delectandum* quam temporum varietates. — Praemissi exploratores *idoneum castris* locum delegerunt.

472. Brutus *inimicitior* erat *Caesari* quam Clodio. — Omnia *ei cum Graecis communia* fuisse fertur. — Sisigambis *Alexandro superstes* esse erubuit.

473. Consilia senum solent *junioribus salutaria* esse. — Duo praedia *Sempronii* esse *propria* ferebant, tertium *commune ei cum genero.* — Ecquis alius Sosia intus est, qui *mei similis* sit?

Adjectiva cum ablativo.

Num. 48—51.

474. Fabius exercitum *spoliis onustum* ad urbem reduxit. — Vir divina *praeditus mente* facile parvo contentus erat. — Hostium *ignavia* plus quam sua *virtute fretus* proelium dictator iniit.

475. Ne ipse quidem Caesar *alienus* fuit *a* Graecorum *consuetudine.* — Lingua delphinis est haud *differens a suilla.* — Catilina *nobili genere natus* fuit ingenio malo.

476. Animus *liber* erat mihi *a spe,* metu, partibus reipublicae. — Orbum te atque *extorrem a solo patrio* videbamus. — *Vicesimum a Carano* Macedones Perseum numerabant.

477. Cajus *tertio* die, *quam* domum revenit, pestilentia interiit. — Antonius consulatum *alia atque* Tullius fortuna gessit. — Non *idem* revertit consul, *quam* reversurus nuntiabatur.

Adjectiva comparativa.

Num. 52—59.

478. Quis *Platone uberior* in dicendo, quis *Aristotele nervosior,* quis *Theophrasto dulcior?* — *Callidiorem* vidi neminem *quam Phormionem.* — Ajo te *doctiorem* esse *quam Thalem* Milesium.

479. Vos patriam, *qua* nihil est *carius,* mihi reddidistis. — Comitia *exspectatione* omnium *pacatiora* fuerunt. — *Amplius* triginta *diebus* milites in aestivis feriati sunt.

480. Hortensius *diutius solito* pro Verre peroravit. — Istos ego servos *furaciores* censeo esse *quam crudeliores.* — Et nequam Sosia est et stultus; sed *nequior quam stultior.*

481. Quidvis ego perferre malim *quam* istius sycophantae nugas. — *Latior* Adria est *quam* nautae opinantur. — Nihil *libentius* facio, *quam lego* tuas litteras.

482. Haec sunt *obscurius* dicta, *quam ut* possint a populo intelligi. — *Doctior* fuit Crassus, *quam quomodo* eum Quinctius describit. — Nihil *magis* objurgant, *quam quod* nolui esse sceleris socius.

Adjectiva superlativa.

Num. 60—61.

483. Antiochus illis temporibus *potentissimus omnium* regum censebatur. — *Inter equites* Campanos *acerrimus* Jubellius erat. — Omnium *Hispanorum maxime* imbelles habentur Turdetani.

484. M. Cato juris civilis *peritissimus ex omnibus* putabatur. — Habes pro te homines *totius provinciae nobilissimos.* — Alexander, *ex regibus potentissimus,* veneno periit.

485. Jugurtham, regem *inter Numidas* longe *nequissimum,* Marius triumphans egit ante currum. — Verrem, *inter fures* multo *furacissimum*, Tullius tribus actionibus fugavit. — Qui litteris sub Molone animum adjecerat, evasit *quam doctissimus.*

Constructio pronominis.

Num. 62—92.

486. Jam ista *solius tua* culpa est, quem nullius probri pudet. — *Tuam* virtutem vel *togati* vel *armati* populus Romanus suspexit. — *Vestro amborum* praesidio evasi periculum.

487. In *vestra omnium* laetitia me unum lacrymari non oportebat. — Ne fletus quidem *omnium nostrum* ullam tibi

lacrymam ciere potuit. — Mihi patria, quae communis est *omnium nostrum* parens, carendum fuit.

488. Negotium istuc non est dignum viribus *nostris, qui* majora onera sustinere soleamus. — *Meamne dormientis* aurem vellere ausus es? — Tabulae *tua* culpa, tabularium *negligentis,* perierunt.

489. Non totus moriar; sed *parte* meliore *mei* superstes ero. — Mihi *partes meas* tueri necesse fuit. — Si cessaveris, *memoria tui* non erit diuturna.

490. Litterae tuae *desiderium tui* aliqua ex parte leniunt. — Doleo *mea causa* in has te angustias incidisse. — Si arroganter feceris, flagrabunt omnes odio *tui.*

491. Nemo est *nostrum,* quin recordetur *vestri.* — Numquis est *vestrum,* qui memor sit *nostri?* — Unus *vestrum* misertus est *nostri.*

492. De conjuratis Cato non judicavit *idem quod* Caesar. — Jam non est *eadem* Roxane, *quae* erat, vivo Alexandro. — Non est *idem* otium *atque* cessatio.

493. Verres, quum *se* defendit, tum me orat, ut *sibi* auxilio veniam. — Excruciabit me herus, quia *sibi* non dixerim. — Vos ex M. Fabonio audistis Clodium *sibi* dixisse periturum Milonem triduo.

494. Jussit orare herus, ut, si *se* amas, ad *se* venias. — Antonio gratum facis, quod curas de *se* diligenter. — Ligarius in provincia pacatissima ita *se* gessit, ut *ei* pacem esse expediret.

495. Fontejus eadem *se* solatia *suis* relinquere arbitratur, quae *suus* pater *sibi* reliquisset. — Desinant conjurati insidiari consuli domi *suae.* — Nolite hunc judicare ex operibus *suis.*

496. Timochares pollicitus est *se* Pyrrhum veneno per filium *suum,* qui potionibus *ejus* praeerat, necaturum. — Induciomarus legatos ad Caesarem mittit *se* urbe excedere atque ad *eum* in castra venturum *suas*que fortunas *ejus* fidei commissurum. — Tullius librarios habebat complures, qui *sua* opera accurate describerent.

Constructio verbi.

Verbum substantivum.

Num. 93—95.

497. Petulantia magis est *adolescentium* quam *senum.* — Erat *majestatis* populi Romani prohibere injuriam. — *Cujusvis hominis* est errare; *nullius* nisi insipientis in errore perseverare.

498. Meum erat plectere scelus; *tuum* non committere. — Sunt *nobis* mitia poma et pressi copia lactis. — Vos, *quibus* aetas est militaris, mecum adnitimini.

499. Incumbite, ut *amicis utilitati* et *reipublicae honori* esse possitis. — Atticus non solum *suis*, sed *alienissimis* etiam *praesidio* fuit. — Jugurtha *domui Micipsae*, qui se adoptaverat, *exitio* fuit.

500. Alexander *humili statura* fuit, sed *excelso animo.* — Scipio erat impigro atque alacri *ingenio.* — Piso rugosa *facie* erat et *capite* cano.

Verba cum genitivo.

Num. 96—102.

501. Populus, qui tum flebat, praetorem *sacrilegii* damnaverat. — Camillus palam *sceleris* senatum arguere veritus erat. — Ego te hoc uno *crimine* condemnem necesse est.

502. Sic judices exarserunt, ut eum *capitis* condemnarent. — Epaminondas a Thebanis *morte* mulctatus est. — Viri fortes hoc tempore *exsilio* damnabantur.

503. Drusus est *de praevaricatione* a tribunis absolutus. — Scribe, siquid *nostra* aut *illorum* intersit. — Plurimum interest *tuae fidei* te aes alienum ante idus dissolvere.

504. Equidem *ad nostram laudem* non multum video interesse. — Curet id populus Romanus, *cuja* interest barbaras compescere nationes. — Tu nostram causam suscipias velim, *cujus* interest bonos ab injuria prohibere.

505. Id neque *tua* interest neque *tuorum;* sed *mea solius.* — *Nostrum omnium* interest improborum conatus coërcere. — Si meam domum Catilina cum suis invaserit, *vestra omnium* interest servare caput consulis.

506. Si te *municipiorum* non pudebat, ne *veterani* quidem exercitus? — Numquam Atticum pertaesum est *suscepti negotii.* — Decet nos meminisse *beneficiorum,* oblivisci *injuriarum.*

507. Recordor *lacrymarum,* quas pro me saepe et multum fudistis. — Nemo fuit Romae, quin *Reguli* misereretur. — *Irarum* muliebrium Socrates non satagebat.

508. Quum te video, venit mihi in mentem *improbitatis* meae. — Numquamne tibi *parentis tuae* venit in mentem? — *Tui* quidem venit mihi in mentem saepius quam *mei ipsius.*

Verba cum dativo.

Num. 103—110.

509. Quid *Romanis* ad Cannas relictum est? — Sunt profecto multi, qui eripiunt *aliis,* quae *aliis* largiantur. — Mucius noster ad me scribit te *mihi* maximas gratias agere.

510. *Strenuis* abunde dictum est; *ignavis* nulla oratio sufficit. — Haec ego praecipio *tibi* hominis frugi functus officio. — Majora *tibi* virtus tua dedit, quam fortuna abstulit.

511. Invident *honori meo;* ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis. — *Huic* quoque *rei* subventum est maxime a nobis. — Nae tu, si *mihi* credidisses, melius *famae tuae* consuluisses.

512. Edixit rex barbarus, nequis postea *Graecis litteris* studeret. — Damon incumbens *tereti olivae* sic canere coepit. — Incumbite, Quirites, *ad reipublicae* salutem.

513. Intererat Furius *pugnae* navali apud Salamina. — Has *tibi* tabulas prodesse non video, sed potius obesse plurimum *causae tuae.* — *Satarchis* plus inest virium quam ingenii.

514. Consul *comitiis,* opinor, non praeerit. — Si *rei* familiari abfui, *reipublicae* non deero. — Hannibal *ab urbe* abcrat non procul.

515. Superstitio ea vocatur, *in qua* inest timor inanis deorum. — *Columbis* ajunt inesse quendam gloriae intellectum. — Quantum potes *gratia,* tantum nos apud regem adjuva.

516. Bona existimatio *divitiis* haud dubie praestat. — *Cunctanti Q. Fabio* tribuni militum noluerunt diutius *praestolari.* — Quantum Hercules *Caco* viribus, tantum Cicero *Antonio* eloquentia *antecelluit.*

517. Si *reipublicae* consulis, fac *socerum* de rebus gerendis consulas. — De republica non libet *mihi* plura scribere. — Non licuit *mihi* per Curionem facere, quod volebam.

518. Harum *te* rerum causa, credo, *latebat.* — Non *te praeteriit,* quam tua causa sim sollicitus. — Nihil *ad rem attinet,* quid tu rerum in bello praedonum gesseris.

519. Illorum *te* fatum *manet,* quorum facta imitatus es. — Non *me fugit,* quanta cum perfidia hospitem tuum prodideris. — *Eo* res *pertinet,* ut grandem mihi dicam impingatis.

520. Frustra filiae Hieronis *genibus* carnificum supplices *acciderunt.* — Puellarum *collo* laqueum lictores *intenderunt.* — Populus misericordia motus regiis *filiabus* vincula *exemit.*

521. Scipio ingenio militari *Hannibalem antestabat.* — *Ad eam insulam* crocodili non *adnatant.* — Pares *cum* paribus facile *congregantur.*

522. C. Fabium legatum *castris praesidio* dictator reliquerat. — *Caecilio crimini* vertes, quae *tibi laudi* ducis? — Tigranes *pignori* gemmeum monile *Volumniae* miserat.

Verba cum altero accusativo.

Num. 111—114.

523. Pythagoras *docebat matronas pudicitiam,* pueros modestiam. — Marius sub Scipionis disciplina *bellicas artes edoctus* fuerat. — Adherbal Romam legatos miserat, qui *senatum docerent de caede* fratris.

524. Rediens Brundusio *portorium* ab exactoribus *flagitabar.* — Ea, *quae* a natura *monemur,* non audimus. — Cur *ea me celas,* quae ego aliunde nosse possum?

525. Nemo tunc Romae fuit, quin tui *consilii* ab indicibus *commonefieret.* — Scio te maximis *de rebus* a fratre esse *celatum.* — Oh virum simplicem, a quo nihil *cuiquam celetur.*

Verba cum ablativo.

Num. 115—120.

526. Eumenes naves *commeatu onerari* jusserat. — Hannibal amphoras *complevit plumbo,* summas *operuit auro* argentoque. — Tigranes Catamitum *torque aureisque armillis ornaverat.*

527. Veteres templum Junonis egregiis *picturis locupletare* studuerunt. — Populi grati est *praemiis afficere* bene meritos de patria cives. — Gens illa pecuniae ignara merces *mercibus mutat.*

528. Manlius *torquem* hosti ereptum *sibi induit.* — Cethegus cruentum *sagum* ex acie rediens *exuitur.* — Quinctius *arma induitur, quibus* hostem *exuerat.*

529. Fossas *caesorum militum implens* aditum sibi ad castra hostium fecit. — Siquis barbatus equitat in arundine, *hellebori eget.* — Quin tu corbes texis, *quorum indiget* usus?

530. Verres Furium ob virtutem laurea *corona donarat.* — Si fures *aditu prohibuisses,* salva tibi arca foret. — Maritus *nucibus* terram *spargere* post nuptias solebat.

531. Senatus *populo* sumptuosas coenas *interdixerat.* — Caesar hostem *commeatu interclusit.* — Rex obvios *salute impertire* consueverat.

532. Villam *abundare* oportet *porco* et gallina. — Si obtrectabitur, *utar auctoritate* senatus et *vita* potius quam patria carebo. — Macedonum *gaza,* quae fuit multo maxima, *potitus* dictator est.

533. Herculis simulacrum ajunt *sudore manasse.* — Nihil honestum est, quod *justitia vacat.* — Barbari eorum *carne,* quos in bello occiderunt, *vescuntur.*

534. Forum Syracusarum civium innocentium *sanguine redundavit.* — Si *pace frui* cupimus, bellum nobis strenue gerendum est. — Puerorum infirmitas majorum *auctoritate nititur.*

Verba cum ablativo et praepositione.

Num. 121—122.

535. Verres *ex illis* se dicebat signa *emere, a quibus* per vim *auferebat.* — *Audivi ex Pisone* bellum Poenis illatum

iri. — Gommius ad Germanos profugerat, *a quibus* maxima auxilia *mutuatus erat.*

536. Adesse in foro videbatis, quos ego *a vestris cervicibus depuleram.* — Victi opem *a diis petebant,* quam *ab hominibus sperare* non poterant. — Per ego te haec genua oro, ut me *ex iis miseriis eripias.*

537. Milesius ille *a* ceterorum *consilio* se *abhorrere* dicebat. — Multae civitates *ab Afranio desciscere* parabant. — Omnia discordiis flagrabant, *ex quibus oriuntur* bella civilia.

538. Navis improvida periculi *scopulos praetervecta* est. — Marcellus copias *Baetim trajicere* constituit. — Vehemens opinio barbarorum *animos pervaserat* Romanos oppugnatione non destituros.

Constructio participii.

Num. 123—126.

539. Ad te confugi *exagitatus* a cuncta Graecia, tuam *petens* amicitiam. — Lamia epistolam mihi reddidit *missam* sibi a Caesare. — Caesar Aegypto *potitus* reges ab Ptolemaeo *scriptos* constituit.

540. Una in illa re servitutis *oblita* civitas ingemuit. — Consul *donatus* ab amicis grandi pecunia ad Volscos exsulatum abiit. — Regia classis, *exprobrans* ignaviam hosti, oram Achaiae vastabat.

541. Plerique superbiam Parthorum *perosi, datum* a Romanis regem malebant. — Vir probus morum perversitatem fuerat *pertaesus.* — Plebs regum nomen *perosa* erat.

542. Tesseram tribunus dederat, ut milites curati et *pransi* essent. — Rex intempesta nocte bene *potus* ibat cubitum. — *Considerati* hominis est, qua de re jure decertari oportet, armis non contendere.

543. Viros legum judiciorumque *metuentes* in hac causa habuistis. — Ut primum juventus belli *patiens* erat, ad arma vocabatur. — Recepit veterem amicum amantem suique *observantem.*

Constructio gerundii.

Num. 127—133.

544. Hieme *vertendum* est glebas, vere novo *serendum* aestate *metendum* segetes. — *Paranda* classis fuit, ne commeatus interciperentur. — *Redeundum* fuit in castra, ne hostes impedimentis potirentur.

545. Majorum placitis *parendum* est adolescentibus. — *Exhortandus es mihi,* bone adolescens, ne cum improbis societatem coëas. — Si Epicureis credendum sit, *quaerenda* est pecunia primum, virtus post nummos.

546. Provincias *obeundi* populosque *multandi* potestas Verri datur. — *Ferendo* injurias majorem laudem merebere quam *ulciscendo.* — Idoneum tempus ratus est Atticus studiis *obsequendo* suis.

547. Haccine tu de causa cupidus eras *exstinguendi* mei? — Scientia oratoris est recte *faciendi* magistra. — Nullus fuit in Graecia Apelle *pingendi* peritior.

548. Ad ulciscendum necem fratris Argos cum pugione Graeculus venerat. — Questus praetor est de iis, qui pecuniam *ob judicandum* acceperant. — Nullo loco deero *ad subveniendum* plebis inopiae.

549. Has litteras librario *inter coenandum* dictavi. — Brocchus *ex occando* plus juvari arva putabat quam *ex arando.* — De *inferendo* bello fetiales Carthaginem senatus miserat.

550. Plus operae Septimius *in scribendo* ponebat quam *in legendo.* — Quum *a dicendo* vacaret, dabat Tullius *scribendo* operam. — *Pro canendo* tulerunt sua praemia psaltriae.

551. Ne Croesi quidem gaza par esset *dissolvendo* aeri alieno, quod *ad pergraecandum* contraxisti. — Proelium *de scandendo* vallo commissum est. — Pro ope *ferenda* pergit oppugnatum ire urbem.

552. C. Marius arma *opprimundae* reipublicae ceperat. — *Tuendae* gratia civitatis caput meum objeci inimicorum telis. Ancillae *eluendis* vestibus linteisque operam dederunt.

553. Incumbite, oh adolescentes, *ad sequenda* majorum vestigia. — *Scribendorum* causa militum excesserant urbe consules. — *Tuendarum* gratia sororum strinxerat Curio pugionem.

554. Infans *alendi* causa nutrici creditus est. — Pueri *ante docendum* ingenio sint rudes necesse est. — Vires animi sicut corporis *exercendo* firmantur.

555. Sum jam pridem cupidus vestri *videndi.* — Omnibus cura est sui *custodiendi.* — Abi, soror; non est mihi copia tui *sequendi.*

556. Nondum erat tempus *metendi* segetum. — Quam dedisti ad me epistolam, non fuit potestas ejus *legendae.* — Venit Volumnia ad socerum sui *expurgandi* causa.

Constructio supini.

Num. 134—136.

557. Tribunitiam potestatem *eversum* profecti estis. — Pueros *dormitum* jubet ire mater. — An est qui nesciat venisse Cajam tot dierum viam tibi *gratulatum?*

558. Rex amicitia populi Romani fretus legatos ad Jugurtham de injuriis *questum* mittit. — Hera ancillas ad oram fluminis *lavatum* miserat. — Naso ad Scythas *exsulatum* ierat.

559. *Coctum* ego, here, non *vapulatum* conductus sum. — Quis vidit umquam anum acheronticam dari *nuptum?* — Emere licet, si est argentum, quae *venum* proposita sunt.

560. Quae tibi acciderunt, sunt lepida *memoratu.* — Prodigium mirabile *visu eventu*que fuit. — Rex domum incubia nocte *venatu* revenit.

Constructio ceterorum verbalium.

Num. 137.

561. Hanno *vitabundus* insidias loco edito castra posuit. — Macedones regem *venerabundi* corpora humi prosternunt. — Consul *populabundus* castra hostium Romam rediit.

562. Qui fuerit noster Brundusio *reditus* exposui ante. — Maturior solito fuit Pompeji ad urbem *accessus.* — *Aditus* ad laudem latior patet eloquentiae quam peritiae rei militaris.

563. Quis est omnium in plebe, cui largitio non sit *optabilis?* — *Tenacem* propositi virum aura popularis non dejicit de sententia. — *Improvidos* insidiarum Hannibal Romanos oppressit.

564. *Conscios* conjurationis Catilina in conventum vocavit. — Rex fuit utilium bello *studiosus* equorum. — *Provida* futuri congerit formica acervos.

Constructio adverbii.

Num. 138—159.

565. Mihi frequens conspectus vester *multo* jucundissimus est. — Socer hujus vir *multum* bonus est. — Tua scripta *multo* sunt meliora meis.

566. Tuam sententiam requiram *separatim a* ceteris. — Incerti vagabantur haud *dissimiliter* navibus sine gubernaculo. — Lacryma nihil *citius* arescit.

567. C. Lamia uno omnium *familiarissime* utor. — *Pertinacissime* hi ex omnibus in sententia permanserunt. — In isto juvene, quamquam est *satis* animi, *parum* est auctoritatis.

568. Praestabilius esset *ubivis* gentium quam in ista urbe aetatem agere. — Quando *eo* miseriarum venturus eram, parum profuit e stirpe regia nasci. — Antonius in Palatio domum, arcis *instar,* aedificavit.

569. *Pridie* idus junias Padum copias trajeci. — Sententiam Bibuli de tribus legatis *postridie* ejus diei secuti sumus. — *Postridie* ludos Apollinares cepi Megaram iter.

570. *Ecce* hominem miserum, dignum meliore fato. — Cuncta civitas *obviam* victoribus processit. — Vivere oportet *convenienter* naturae.

571. *Per* nobis gratum feceris, si brevius peroraris. — Somnus a prandio *perquam* salutaris esse putatur. — Ierunt cubitum ab solis occasu tertia aut non *multo secus.*

572. Amitam puer diligebat *aeque ac* parentem suam. — Haec *contra* evenerunt, *quam* tu vaticinatus fueras. — *Commodum* foras ieram, *quum* domus mea corruit.

573. *Interea* maneant obsides, dum pecunia redditur. — Cererem Siculi *juxta* colunt *atque* ipsam Junonem. — Fortunam belli volo *perinde* scribas, *atque* ex Lucullo accepisti.

574. Verbosior factus es *prae ut* eras dudum. — Noli ire *praeter quam* ducit semita. — *Postridie* ego natus sum *quam* Quirinus ex Rhea.

Constructio praepositionis.

Num. 160—203.

575. *A vento*, qui fuit, unda tumet. — Ferocissimae omnium sunt pantherae *ab Afris saltibus*. — Centesima lux haec est *ab interitu* Clodii.

576. Corpora interfectorum sine exsequiis data sunt *ad sepulturam*. — Consulum alter *ad Cannas* cecidit, alter equo fugit. — Mundi pulchritudo *ad divinam* vix est momenti instar.

577. Neque flaminem neque pulvinar constitui fas est *ad* divi Julii. — Remigravit ad urbem Pompejus *ad* tribus millibus fugitivorum interfectis. — Quo in proelio *ad* centum tribuni desiderati sunt.

578. Habebuntur comitia *citra ludos* Apollinares. — Sacra Lanuvinis reddita sunt *cum eo ut* aedes Junonis communis esset cum Romanis. — Praestat *cum periculo* capitis agere quam *cum dedecore*.

579. Tullius saepe in Antonium *de rostris* invexit. — Uni epistolae respondi, in qua est *de periculis* reipublicae. — Verus es tu Graeculus, qui *de nihilo* irascaris.

580. *Ex sua villa* Lucullus fremitum fluctuum audiebat. — Ennius in sepulcro Scipionum constitutus est *ex marmore*. — Antonius, cum ex caupona diluculo prodiisset, visus est *ex vino* vacillare.

581. M. Tullius dicendo faciebat judices *ex adversariis* amicos. — Superis bene juvantibus, res procedent *ex* animi *sententia*. — Anus *e proximo* aedes suas conducere recusavit meretriculis.

582. Furius quidem, si *ex morbo* oculorum tunc non navigavit, *extra noxam* est. — *Extra te* nemo mihi videtur fidelis

amicus esse. — Praedones, Verre praetore, *in littore* securi inambulabant.

583. Jubet omnes, qui arma ferre possent, *unum in locum* convenire. — Plures cum telis *in hunc* faciunt de loco superiore impetum. — Hispania *in duas partes* Ibero flumine dividitur.

584. *In socios* Aeneae Juno fuit infesto animo. — Infantem de gremio nutricis *in ulnas* soror sustulit. — Barbarorum est *in diem* vivere.

585. Naso longa poëmata *intra paucos dies* conficiebat. — Croesus manibus *post tergum* vinctis ad supplicium ductus est. — Cincinnatus *post sextum mensem, quam* factus est dictator, se magistratu abdicavit.

586. *Per dexteram* te istam oro, quam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti. — *Per somnum* visus sum audire de mausoleo vocem. — Quum *per valetudinem* potero, Cumas navigabo.

587. Sed finis sit, neque enim *prae lacrymis* jam loqui possum. — Hujus me fortunae adeo non poenitet, ut eam *prae me* feram. — *Praeter oram* maris pascentes cervos Aeneas telo transabiit.

588. Sapere visus est mihi puer *praeter aetatem.* — Ain dicimus *pro* aisne, nolle *pro* non velle. — Praemiis afficiere *pro eo ac* meritus es.

589. *Pro aede* Cereris stabant geminae canephorae. — Ut pateat tibi ad Caesarem aditus, enitar *pro viribus.* — *Secundum aedes* tuas apertus est ludus.

590. Tibi Caesar, quem Brutus percussit, videtur in coelo *secundum deos* sedere. — Senatores *secundum Catonem* sententiam dixerunt. — Siculi *secundum Junonem* Cererem colunt.

591. Audio etiam furto ablata a Verre signa; idque *propius fidem* est. — *Prope a domo* tua habitat anus illa venefica. — Ceteras insulas, quae Ciclades nominantur, *sub* Atheniensium redegit *potestatem.*

592. Triarii *sub montem* per inducias successerunt. — Sudes defixae *sub aqua* flumine tegebantur. — Servi *sub oculis* domini operam suam probare studebant.

593. *Sub orationem* Tullii Caesar mutavit sententiam. — — Milites in castris *sub dio* cogebantur pernoctare. — *Sub horam* tertiam domum senatores reverterunt.

594. Omen putavit esse, quod septem corvos *super tumulum* sedere vidit. — *Super* beati illius *cervice* gladium seta equina aptum pendere rex jusserat. — *Super rebus* in bello gestis consul litteras Romam dat.

595. Visa sibi est Cloelia per visum cernere senem *supra* humanam *speciem.* — Caesi sunt hostium *supra quinque millia,* ex nostris *supra nongentos.* — *Super coenam* placuit ire cubitum.

596. Plato iram in pectore, cupiditatem *subter praecordia* locavit. — Quo possent currus Padum transvehi, congesta est glarea *subter aquam.* — Equites *ephippiorum temus* flumine mergebantur.

597. Praetor tribus *ante* diebus ad urbem accesserat. — Diebus *circiter* quindecim arma undique congesta sunt. — Agnus *contra* timens, qui possum, inquit, facere, quod quereris, lupe?

598. Scribe quid sentias de transeundo in Epirum; de Tirone *coram* loquemur. — Quum ad ripam Sequanae procubuissem, emergens e fluvio coluber *juxta* consedit. — I tu *prae,* puer; ego pone sequar.

599. Hydram Lernae *prope* intueri nemo audebat. — Consul ira inflammatus gladium, qui *propter* erat, protinus destrinxit. — Tullius fuit oratorum princeps; nemo dicet *secus.*

600. Signum Vestae sic affabre elaboratum est, ut nihil possit *ultra.* — Antiochus se Romam *usque* ex ultima Syria contulit. — Hannibal copias trans Apeninum *usque* transtulit.

Constructio conjunctionis.

Num. 204—218.

601. Invasit Verres in bona Siculorum; *at* vapulavit Tullianis actionibus. — *At* premebaris aere alieno: scilicet ex provincia locuplete vir consularis redieras vacuus. — Tace, insane; ante ego hoc didici, *quam* tu natus es.

602. *Ubi* diluxit, viderunt Romani movisse castra Poenos. — Levir tuus tam te diligit, *quam* si tuus esset germanus frater. — Volo abs te doceri, *tamquam* viam ingressurus, quam tu saepius ieris.

603. Fuge quantum potes, ne hic te sentiat *neve* odoretur. — Visne tibi credam, *quasi* te mendacii numquam convicerim? — Tuas cavillationes nemo homo, *quamvis* ingeniosus, queat extricare.

604. Desidero semper tuas litteras, *quamvis* das crebras. — Ad coenas lautiores ne vocatus quidem veniebat, *quippe* quem fabulantium per vinum convivarum coeperat jam pridem taedere. — Populus numerabilis erat, *ut pote* parvus.

605. *Quin* morere, ut merita es, ferroque exstingue dolorem. — Mihi crede: si id ego scelus in te admisi, nulla causa est, *quin* verberibus afficiar. — Tace, puer: mirum, *quin* id queas assequi, quod omnium doctissimi non sunt assequuti.

606. Tam diu te exercere debes, *quoad* usum pares. — *Quod* te ais in gratiam cum Caesare rediisse; recte agis, sed non diu manebis. — *Hoc* vel maxime delectant me tuae litterae, *quod* illaboratae esse videntur.

607. Vociferere licet, *quoad* mortuos excites. — Ligarius quidem arma contra Caesarem sumpsit; *verum* ignoscendum *tamen* illi est. — Non dubitabam equidem me abs te amari, *verum* amorem tuum notiorem fecit Chaerippus.

608. *Tametsi* vicisse debeo, *tamen* de jure meo decedam. — C. Cassius et per se et per suos et *vero* per alienos etiam defendetur. — Tres copiarum partes Helvetii flumen traduxerunt; quartam *vero* citra reliquerunt.

Constructio interjectionis.

Num. 219.

609. Mittite *age* legatos circa omnes Asiae urbes. — *Ah* me miserum; vix sum compos animi. — Nae illa *edepol* memorari possunt.

610. *Oh* domus Anci, *heu* quam dispari domino dominaris. — Oves tam glabrae sunt, *hem* quam haec est manus. — *Heus* tu, ubi es? aperi ostium.

611. *Hei* mihi jam tu quoque adjuvas insaniam. — *Eja* bonum habe animum. — *Euge* jam lepidus vocor.

612. Agna cadat vobis, quam circum rustica pubes clamet: *io* messes, et bona vina date. — *Hui* totiesne me litteras dedisse Romam, quum ad te nullas darem? — *Vae* nobis, in hostium venimus potestatem.

613. Quid tu, *malum,* curas coctum ego an crudum edim? — Tantum, *proh* dolor, degeneramus a parentibus nostris. — Hominemne Romanum tam Graece loqui. Non, *medius fidius,* ipsas Athenas tam Atticas dixerim.

614. *Papae,* Marco spondente, recusas credere tu nummos? — Non queo, *mecastor,* quid hero dicam comminisci. — *Vah apage* te a me, pestis te tenet.

Casus.

Num. 220—245.

615. Inter Demosthenis Tulliique eloquentiam *digitus* vix interest. — Quae *pueri* didicimus, manent senibus. — M. Tullius sub Graecorum disciplina evasit *orator.*

616. Hordeaceos panes *modici ponderis* canibus objiciebant. — Studium *Catonis rei rusticae* plurimum agriculturae profuit. — In oppido *Cartejae* centum cados *vini* per fraudem intromissos decumani occupaverunt.

617. Binos scyphos *ex auro* Verres hospiti suo furatus est. — Dictator *auream* coronam Jovi donum misit. — Muro *lapideo* circumdare urbem parabamus.

618. Natio illa argentum *assis* non faciunt; aurum etiam *minoris.* — Tabulae Parrhasii *tanti* venierunt, *quanti* voluerunt licitatores. — Praetor domum ex Asia regressus *magno* vendidit, quae *parvo* emerat.

619. Qui minas dictatoris *parvi* fecit, *flocco* habebit tuas. — Quae erant *trium talentorum,* ea sibi Verres *asse* vendere

Siculos coëgit. — Zeuxis suas tabulas *gratis* largiebatur, quod eas *nullo pretio* aestimari posse arbitrabatur.

620. Avidienus sic est avarus, ut *drachmis* septem putet satis obsonari. — Id poëma, si *semuncia* emeris, caro emisti. — *Tantine* facis amicitiam Caesaris, ut fortunas tuas amittere malis quam ejus gratiam?

621. *Puero* dormienti apicem arsisse ferunt. — Pusio, cave oculos *tibi* digito frices. — *Tibi* ego herus an tu mihi es?

622. Aurea monilia Sempronius *muneri* misit ad uxorem. — Septimius grandem pecuniam dabat *foenori.* — Magno studio *mihi* a pueritia est elaboratum.

623. Hic est ille Scipio, cui nomen *Africano* ex Africa subacta datum est. — Huic oppido, quod nunc Terracina vocatur, *Anxuri* quondam nomen fuit. — Tu *mihi* omnibus rebus affluas et egenos oppressum eas?

624. Sunt in India gentes, quae *faciem* linuntur minio. — Graeculi in atrio inambulabant medicati *capillos* et rasi *barbam.* — Pollui consulatum putabant, si eum homo novus, quamvis *cetera* egregius, adeptus foret.

625. Muraena laesus *altero oculo* regere equum vix valebat. — Milites ex illo proelio *minimam partem* redierunt incolumes. — Haec oratio a puero sexenni scripta est: *incredibilem* auditu *rem.*

626. Silvae in Mauritania feris *omne genus* abundant. — *Quae* Cassium hortatus es per litteras, fac eadem coram hortere. — Neque ego quae recte egistis criminor, neque *quae* peccastis laudo.

627. Mi *animule,* meus *festus dies,* qui vales? — Heus tu, *bona Phronesium,* accumbe in summo. — Dabis aliquando poenas, *furcifer.*

628. Jupiter *Saturno* satus eum de coelo deturbavit. — Seneca, *natione* Hispanus, *patria* Cordubensis, fuit acri ingenio. — Virgilius omnes poëtas *elegantia* superavit.

629. Precatus sum a diis immortalibus *more institutoque* majorum. — Cogita *cum quanto periculo* reditum sit in Ro-

manorum amicitiam. — *Eloquentia* Tullii reipublicae consultum saepius est.

630. Ni abis, ego te *fuste* abigam, sycophanta. — Legati Romam, *infecta pace,* redierunt. — *Molone praeceptore,* Tullius Graecas litteras didicit.

Voces verbi.

Num. 246—253.

631. Ut saepe alias, *juvit* facundia causam. — *Favebam* reipublicae, cui semper favi. — Lunaque *fulgebat,* nec facis usus erat.

632. Securam *vitam,* Saturno rege, in terris *vivebant.* — Ego *servitutem* apud hunc haud diu *serviam.* — Domum, bene potus, ad vesperam *redieram.*

633. Tu formosissimus alto *conspiceris* coelo. — Huic quoque rei *subventum* a senatu *est.* — Pugna ad Cannas acerrime *pugnata est.*

634. Nisi quiescitur a Pompejo, ibitur ei obviam a Caesarianis. — Quum Menippus a Charonte assem *exigeretur,* negavit se tantum pecuniae possidere. — Cur ego ea *arguar,* quae ne cogitavi quidem?

635. Nisi taces, *vapulabis* a matre. — Idcirco Fabius *exsulavit,* quod suo officio fortiter functus erat. — Frustra Pompejus a Caesare *hortabatur* arma deponere.

Modi verbi.

Num. 254—265.

636. Hodie sudum *est,* cras *pluet.* — Si ludum non frequentasses, *didiceras* minus. — Litem jure intendis, sed connivere satius *erat.*

637. Puer postremus *loquaris,* primus omnium *taceas.* — Mille talenta huic operi *numerasses,* negaret esse satis. — Portenti simile multis *videatur* quod dicam.

638. Superi te omnibus bonis *impertiantur.* — Nullos ego quidem ei nummos dedi; sed *dederim* sane, cujus me criminis

accusatis? — Sexennis puer tanti sceleris conscius *fuerit?* Fieri non potest.

639. *Poteram* nunc ego te domo exigere; sed malo misereri immerentis. — *Vincebat* Pompejus, nisi Caesar receptui cecinisset. — Marcus, qui animo puerili *esset,* nihil dissimulavit.

640. In conventu seniorum nisi jussus ne *loquere,* adolescens. — Cum improbis ne *congregator* neve *loquitor.* — Quum revenerit, Tiro, *nuntiato* ei a me salutem.

641. Ego jam redeo, tu domi *servabis* et alienos foribus *excludes.* — Si certum est abire, abi; sed ne me auctorem *dixis* profectionis tuae. — *Nolite,* judices, vestris sententiis hominem miserum opprimere.

642. Sunt honorabilia *salutari, deduci, consuli.* — Occupavit *expedire,* quae objici possent, difficultates. — Inter *insanire* et *sapere* longum interest discrimen.

643. Hortensius consilium cepit defendere Verrem. — Tempus est *reverti* domum. — Martius primus erat *inire* proelium, ultimus *cessare.*

644. Idoneus mediastinus est trusatiles *versare* molas. — Indignus erat Claudius integrum *ductare* exercitum. — Est adolescens facilis in vitium *flecti.*

645. Idoneus Scipio visus est, *qui* toti bello praeficeretur. — Apta haec ancilla est, *cui* mandes, quod recte curatum velis. — Non tu dignus es mala fortuna, sed indignus, *in quem* aliquid fortuna possit.

646. Aut digni sunt, *quorum* virtus tibi placeat; aut indigni, *quorum* desideretur ignavia. — Digna vox illa fuit, *quam* audirent omnes gentes. — Dignus non fuerat Clodius, *cui* Fulvia nuberet.

Tempora verbi.

Num. 266—269.

647. Laus brevitatis est multa perquam paucis *dixisse.* — Quum quievisset triduo classis, repente Auster eam *fert.* — *Respiraro,* si te videro, mi fili.

648. Vos me quidem cujus rei libet admonete; mox ego quid facto opus sit *videro.* — Te neque *poenitet* neque *erubescis* quidquam. — Tibi neque ars ulla *est,* neque litteras *didicisti.*

Relatio loci.

Num. 270—281.

649. Puteolis magnus est rumor Ptolemaeum esse in regno. — Ea plaga *in Asia* accepta est, *in Illyrico* et in ipsa Alexandria. — *Terracinae* et *Amiterni* lapidibus pluisse nuntiatum est.

650. Quinctius *ruri* agere vitam constituerat. — Parmenio vir clarus fuit *domi militiae*que. — Milites strati *humi* ducem suum nominatim implorabant.

651. Domi Caesaris deprehensus fuisse percussor dicebatur. — Manlium *in domo privata* occidere tentaverunt. — Arpinas hic *in magna Roma* se esse educatum dicebat.

652. Capuae in urbe celebri Hannibal biduo substitit. — Regulus *domi suae* manere diutius noluit. — *In domo* Antonii argentum pendebatur, non numerabatur.

653. Hic, quum *ex Aegypto* reverteretur, occisus est a latronibus. — Hannibal *ex agro* Tarentino diluculo castra movit. — Has litteras *Faesulis* esse allatas senator dicebat.

654. Pugnabatur a nostris *ex ponte,* ab hoste *ex navibus.* — Egressus *domo* sub ortum lucis *Cajetam* venit sole occidente. — Sub horam tertiam redierunt mancipia *rure.*

655. Dictator, postquam *Romam* venit, Sempronium *in Etruriam* ad exercitum mittit. — Hic *Spartam* redire nolens *Thebas* se contulerat. — Alcibiades *Thurios* in Italiam pervectus clam se a custodibus subduxit.

656. Duo millia Latinorum *domos suas* remigrarunt. — Carthaginienses *in ultimam* Hispaniae *oram* usque ad Oceanum compulsi erant. — Brutus heri *rus* in Tusculanum ierat.

657. Inde non *per Lacedaemoniam* solum, sed etiam Thraciam ad Hellespontum perventum est. — Romae *per omnes*

conventus de facto consulis disceptari coeptum est. — Romani diversis itineribus ad Marcellum consulem *per Samnium* perfugerunt.

658. Hunc ego spero *tota urbe* vagari. — Privatae clades *per domos* nuntiatae sunt. — Bellum cum Poenis gerebatur *terra* et *mari.*

659. Iter faciebamus *pulverulenta via.* — Vidimus effusam undique multitudinem vagari *per saltus.* — Egressus Rhegio feci *Mutina* iter Romam.

660. Te jam ex Asia *Romam versus* ire constabat. — Catilina modo ad urbem, modo *in Galliam versus* castra movere coepit. — Auriga flectere jussus est *versus montem.*

661. Aliis *umbilico tenus* aqua subierat; aliis genua vix superabat. — Rumores *Cumarum tenus* caluerunt. — Agesilaus Asiam *Tauro tenus* regi eripere conatus est.

Relatio temporis.

Num. 282—286.

662. Undecimo anno Punici belli consulatum inierunt Marcellus et Quinctius. — *Quarto idus* majas accepi binas litteras, unas a meo tabellario, alteras a Tironis. — *Hora* fere *tertia* prodiit Antonius e caupona.

663. Britanni *alternis diebus* subibant insulae. — Non est sobrius, qui *luci claro* in foro saltat. — Credibile non est quantum scribam *die,* quin etiam *noctibus.*

664. Bellum cum Samnitibus *per centum* prope *annos* tulimus. — Q. Fabius *partem majorem* hiemis exercitum in tectis habuit. — Athenienses cum Peloponnensiis bellum *sex* et *viginti annis* gesserunt.

665. Eae permanserunt aquae *complures dies.* — *Quintum* jam et *vicesimum diem* Carteja oppugnatur. — Metellus in hibernis *biduo* commoratus saucios milites recreavit.

666. Si quaeris, quam pridem factus sim senator, *abhinc annos* sum *tres* et *viginti.* — Clodius *abhinc centum diebus* occisus a Milone est. — *Tertium* jam *diem* intra hos parietes jejunus teneor.

667. *Intra sex dies* deleta est urbs munitissima. — Hannibal Adrumetum *intra paucos dies* expugnavit. — *Triduo* id quidem aut certe *quatriduo* comperies.

Relatio spatii.

Num. 287—288.

668. Pontes duo Caesar fecit, *tria* distantes *milliaria*. — Romanus exercitus *mille et quingentis passibus* ab urbe castra metatus est. — Leucadiae fauces *quingentos* ferme *passus* longae erant, latae *ducentos*.

669. Vallum *vicenis cubitis* altum, *quingentis* latum duxit Scipio. — Turres Babylonis *denis pedibus* quam murus altiores sunt. — Arcem fossa Poeni munierunt *vicenorum pedum*.

Oratio verbi substantivi et adjectivi [1].

Num. 292—299.

670. Conscientia bene actae vitae jucundissima est. — Pax est tranquilla libertas — Fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum.

671. Emit domum carius, quam aestimabat. — Homo litteras Vulturio ad Catilinam dat. — Multi famam, pauci conscientiam verentur.

672. Praeter Idaeae matris famulos stipem nequis cogito. — Sexto idus junias epistolam tuam accepi. — Consulatum iniit Caesar pridie quam viginti annos impleret.

673. Dave, itan' contemnor abs te? — Sextius ab indice Naevio de ambitu postulatur. — Liber tuus legitur a me diligenter.

674. Maxima pars ab equitibus in flumen acti sunt. — Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati, et positum est nobis nil, here, praeter aprum. — Supplicatio ab diis decernenda non fuit.

675. Vi victa vis vel potius oppressa virtute audacia est. — Anseribus cibaria publice locantur, et canes aluntur in Capitolio. — Capita conjurationis virgis caesi sunt.

---

[1] Orditur hinc Liber secundus.

676. Caedebatur virgis in medio foro civis Romanus. — Quoties tibi extorta est ista sica de manibus. — Nulla possessio pluris quam virtus aestimanda est.

677. In castra properabamus, quae aberant bidui. — Bis tanto valeo, quam valui dudum. — Noctes vigilabat ad ipsum mane, dies totos stertebat.

678. In captivos crudeliter saevitur ab hoste. — Signo dato, concurritur acriter. — Majoribus natu assurgitur.

679. Inde Praestos perventum est. — Hinc acceditur ad fundum Ceseniae. — Per biennium ad saga itur, diuque in eo habitu manetur.

680. Magnis periculis degitur hoc aevi. — Tutius statur in domo, quam per compita itur. — Habitatur in luna, ut vult Xenophanes.

681. In Ponto, ut narrant, Caecia trahit nubes. — Cajetanus sum; Antonium vocant. — Homo omnium in dicendo, ut ferebant, copiosissimus.

682. Quam bene Saturno vivebant rege. — Tunc melius tenuere fidem, quum erat pauper cultus. — Faciunt in cortice sinum in eumque aliena ex arbore germen includunt.

Constructio relativi.

Num. 300—305.

683. Fuere cives, *qui* seque remque publicam perditum irent. — Apage ancillas, *quae* neque texunt neque molunt. — Virtus omnia, *quae* cadere in hominem possunt, subter se habet.

684. Recordare de ceteris, *quos* adesse vides. — Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, *quas* impendere tibi proximis idibus senties. — Phidiae simulacris, *quibus* nihil in eo genere perfectius vidimus, cogitare tamen possumus pulchriora.

685. Ad senatum referemus, *quem* vocari videtis. — Hos appellabo, *quos,* si mentiar, esse nollem testes insipientiae meae. — *Quos* ferro trucidare oportebat, eos nondum voce vulnero.

686. Patriam, *qua* nihil potest esse jucundius, mihi reddidistis. — Atticus contentus est ordine equestri, *quo* natus

erat. — Verba Flacci non ibunt per aurem Caesaris, *cui,* si male palpere, recalcitrat.

687. Ne jocis quidem respondebo, *quibus* me usum esse dixisti. — Erat nemo, *qui*cum libentius essem quam tecum. — Certos mihi fines constituam, extra *quos* egredi non possim.

688. *Quo* die ad te judicem venimus, eodem die illorum minas negligere coepimus. — *Quam* domum nemo sine lacrymis praeterire poterat, hac te in domo deversari non pudet? — Scribit, ut eas, *quae* in Sicilia naves sunt, reficiat.

689. *Quem* ceperunt exsules montem, herbidus est. — *Quos* cum Mario pueros miseram, epistolam mihi attulerunt. — *Quae* primae copiae flumen transire potuerunt, proelium commiserunt.

690. Anxur fuit, *quae* nunc Terracinae sunt. — Poculo utere, *quae* est quarta pars cyathi. — Nihil est diis acceptius quam coetus hominum, *quae* civitates appellantur.

691. Galba, *cujus* lenitatis est, objurgare natum non audebit. — Postula Maecenatem, quae velis; *quae* tua est virtus, omnia impetrabis. — Neque Paulinum, *qua* prudentia fuit, sperasse id reor.

692. Sunt *quos* curriculo pulverem Olympicum collegisse juvat. — Perdormisco, si argentum resolvi, *cui* debeo. — Habet populus Romanus, ad *quos* deferat gubernacula reipublicae.

693. Insulam aggreditur Caesar, praemiis propositis, *qui* primum eam cepisset. — Vinxerat post terga manus, *quos* mitteret umbris inferias. — Litteras ad te nolo dare, nisi *de quo* exploratum sit mihi.

694. Urbem, *quam* statuo, vestra est. — Naucratem, *quem* convenire volui, non erat in navi. — Hunc chlamydatum, *quem* vides, Mars ei iratus est.

695. Tua, *qui* exprobrasti, punitione contentus ero. — Vestra, *quos* scimus conjurasse, hoc magni interest. — Id mea minime refert, *qui* sum natu major.

696. Sumite materiam vestris, *qui* scribitis, aequam viribus. — Omnia commissa sunt mea culpa, *qui* id non putaveram. — Ridet ille amentiam nostram, *qui* in vita sua requiramus bonorum virorum instituta.

697. Nemo est, *quin* tui sceleris ex illa oratione commonefiat. — De qua via nihil praetermisi, *quin* ad te enucleate perscriberem. — Dies nullus est, *quin* hic Satyrus domum meam ventitet.

698. Promeruisti, ut nequid ores, *quin* impetres. — Nemo fuit majorum meorum, *quin* parasitando paverint ventres suos. — Nihil fuit apud te nisi disciplina, *quin* mihi placeret.

Contractio in participium.

Num. 306—309.

699. Piaculum est misereri hominum rem male *gerentium.* — Per flumina juro infera sub terras *labentia.* — Frustis esculentis vinum *redolentibus* gremium suum implevit.

700. Fecit simulacra *moderantum* cuncta deorum. — Dionysium *flagrantem* desiderio tui misi ad te. — Nunc te, Bacche, canam et prolem tarde *crescentis* olivae.

701. Exposuit nobis sermonem *habitum* ab illo. — Flaminium insidiis *circumventum* occidit Hannibal. — Puerum *ereptum* hosti tradidit parentibus.

702. Sternitur et Menelaus Perseia castra *sequutus.* — Accessit populi furor inflammare *ausi* aedes. — Homini altaria *complexo* decutit ense caput.

703. Hydrum *moritura* puella servantem ripas alta non vidit in herba. — His me consolor *victurum* suavius ac si quaestor avus fuisset. — Ore *necaturas* accipiemus aquas.

704. Dare se noluit legionibus omnia vi sua *tracturis.* — Fallacia verba non *audituri* diripuere Noti. — Aut petis aut urges *rituruum,* Sisyphe, saxum.

705. Cesserunt nitidis *habitandae* piscibus undae. — Quid versus scribis nemini *legendos?* — Maritus pugillum conjecit nucum a pueris *legendarum.*

Infinitum generatim.

Num. 310—314.

706. Concedo non esse miseros, qui mortui sunt. — Nicias vehementer confidit se gratiosum fore. — Auguratus petitionem te mihi concessisse dixisti.

707. An vero istas nationes religione jurisjurandi commoveri arbitramini? — Si illum datur hodie mastigiam apprehendere, ostendam quid sit herum fallere. — Rem divinam dixit se facturum ad Junonis.

708. Ad mortem te *duci* jussu consulis jam pridem oportebat. — Frumentum Caesar per jumenta *mitti* jubet. — Pater, jube *dari* vinum; jam diu est quod primum bibi.

709. Sulla jussit poëtae praemium *dari* ea conditione, nequid postea scriberet. — Si inimico testi *credi* non oportuit; inimicitior Marcello Crassus. — Caesar sub noctem *claudi* portas jussit.

710. Consul imperavit *comportare* frumentum, ratus frequentiam fore negotiatorum. — Si natura juberet alios *legere* parentes, optaret sibi quisque. — Inulas docui ego primus *incoquere.*

Infinitum singulatim.

Num. 315—325.

711. Qui mentiri *solet,* pejerare *consuevit.* — Me servulum vicit, qui referire non *audebam.* — Olivetum diebus quindecim ante aequinoctium vernum *incipito* putare.

712. Nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare *occipiunt.* — Istuc delectum *desistas* tanto opere ire oppugnatum. — Quid quum Hortensius accusationis membra in digitis suis constituere coeperit?

713. Mihi parcere ac de me cogitare *desinite.* — *Obliti sunt* Romani loquier Latina lingua. — Etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri *solent.*

714. Quae sanari *poterunt,* quacumque ratione sanabo. — Etiamsi egomet veneam, vix colligi *possit* pecunia, quam tu me rogas. — Perduellibus aqua et igni interdici *debuit.*

715. Mihi quidem jam ab istis nihil noceri *potest.* — Liberis consultius prospici *debuit.* — Undique concurri ad Capitolium *coepit.*

716. Tyrus septimo mense, quam oppugnari *coepta erat,* capta est. — Ad famam obsidionis delectus haberi *coeptus est.* — Terra marique *coeptae sunt* oppugnari Syracusae.

717. Canidia, quod mala obviis ingerebat, *coepta est* appellari canis. — Bello Athenienses undique premi *coepti sunt.* — *Coeptum esse* in Sicilia moveri servitium suspicor.

718. Innocentia pro malivolentia duci *coepit.* — Praetores *coeperunt* in duos annos creari. — Ab universis cohortibus signa in hostem *coepere* inferri.

719. Jam *desierunt* ulla contemni bella. — Facturum se spopondit, si rogari *desineret.* — *Desiverunt* nobiles vocari ad militiam.

720. Nunc Papirius vocatur, qui *desitus est* vocari Papisius. — *Desitae sunt* fundi ad deos preces. — Conciones in foro *desitae sunt* fieri.

721. Postquam pater peregre abiit, triduo *desitum* non est bibi et pergraecari. — Mihi jam a plebe invideri *coepit.* — De jure publico a multis *desitum est* disceptari.

722. Casina hujus *reperietur* socrus esse. — Jam Caesar a Gergovia discessisse *dicebatur.* — An non ego te novi, qui Syracusis *perhibere* natus esse?

723. *Oratus sum* huc ad te venire. — Crassus ab illa peste infestissimus esse *praedicabatur.* — Pericles, si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane tonare *dictus esset.*

724. Occidisse patrem Roscius *arguitur.* — Dignitatis habuisse nimis magnam cupiditatem Sulla *judicatus est.* — *Diceris* et dominae pertimuisse minas.

725. Amens mihi fuisse *videor.* — Tu mihi *videris* Epimarchi sententiam sequi. — Vere hoc mihi *videor* dicturus esse.

726. Ignoratio finxit illas Stygiae formidines, quas tu contemnere non sine causa *videbare.* — Ii mihi magis *videntur* vota facturi contra rempublicam quam arma laturi. — Nescio quid conturbatus esse mihi *videris.*

727. *Videor* mihi hanc urbem videre uno incendio concidentem. — Mihi Antonius pervenisse *videtur,* quoad progredi potuerit feri hominis amentia. — Ne haec quidem virtus Sullae *videtur* silentio praetereunda esse.

728. Rufus natus obscuris initiis parum habebat *proximus* a Pompejo consul *creatus esse.* — C. Titurius constituerat jam *bonus esse faber.* — Vos sine periculo *liberi esse* non curatis.

729. Cupiebat *amicus* mihi fieri. — An te vis inter istos versari muliones, qui tibi stabulum oleant? — Inimicos semper osa sum intuerier.

730. Ei promisi dolium vini *dare.* — Speramus nostrum nomen *volitare* latissime. — Juratus mihi est se hodie argentum *dare.*

731. Juravit se, nisi victorem, in castra non *rediturum.* — Quos defendis sperant se absolutum iri. — Debeo sperare omnes deos mihi pro eo ac mereor relaturos esse gratiam.

732. Eram in spe magna fore, ut in Italia possemus concordiam constituere. — Dejera te mihi argentum esse daturum, ubi viduli sis potitus. — Te brevius, quam paratus fueris, esse dicturum commodum est polliceri.

733. Mihi ab hippodromo memini afferri, nudius tertius, canterium. — Meministine atriensem vendere Pelaeo asinos? — Meministine aes alienum contraxisse te in popina?

734. Tua erga me merita non commemorare non possum. — Alter a pueritia sic est versatus in ludo gladiatorio, ut non confiteri non posset. — Non possum ejus vicem non deflere.

735. Non possum, quin tibi maximas agam gratias. — Non potui, quin tot juratis testibus fidem haberem. — Si me Romilius aes poscet, non potero, quin reddam.

736. Facere non potes, quin pupillam domum recipias. — Facere non potuisti, quin seni morem gereres? — Ut non manerem, facere non potui.

737. Opinor, quiescamus, ne nostram culpam arguamus. — Romanus homo Latine, credo, nesciebat. — Ob eam causam, inquit, feci Graece verba.

738. Valebis et salutem dices matri: me hic servitutem servire homini optumo. — Gratias egit diis, quod Scipio in Italia natus esset: necesse enim esse florere illud imperium, ubi ille esset. — Ait Jugurtha rescindi oportere consulta regis, nam eum senio confectum parum mente *valere.*

739. Ut anguis cunis adrepsit, eas nutrix rursum *trahere.* — Huic juvenes servulo mandant, ut ad se provocet Simonidem: illius *interesse,* ne faciat moram. — Mater et conjux provolutae ad pedes orare coeperunt, ut sibi corpus Darii patrio more sepelire liceret: functas supremo in regem officio se impigre *morituras.*

Attractio et rejectio infiniti.

Num. 326—329.

740. Per hanc tibi coenam *incoenato* esse hodie licet. — Militibus licuit discedere *salvis.* — Mihi fratrique meo designari *praetoribus* contigit.

741. Animo impero meo esse *otioso.* — *Mediocribus* esse poëtis non dii concessere. — Natura *beatis* omnibus esse dedit.

742. An non intelligis, quales viros summi sceleris arguas? — Metellus certiores nos fecit, *quo pacto* se habeat provincia. — At *quemadmodum* me coarguerit homo acutus recordamini.

743. Dubium est, *ad quem* maleficium pertineat. — Didicit jam populus Romanus, *quantum* cuique crederet. — A senatu *quanti* fiam minime me poenitet.

744. Miror *quid* rerum gerat gnatus, qui de nocte abiit piscatum ad mare. — Nec tamen ignorat, *quid* distent aera lupinis. — Lupus et canis contendebant, *uter* felicior esset.

Verba intellectus, linguae et sensus.

Num. 330.

745. Dionysius noster et Nicias *rebantur* oppidum esse Piraea. — Tenesne *memoria* praetextatum te decoxisse? — Quid *obliviscimini* porcum exenterare?

746. *Audierat* ex illo se bis salutem a me accepisse. — Misit ad me *epistolam* experturum sese, quanti se penderem. — Demonstravi, quantum Clodii interfuerit occidi Milonem.

747. Interea rumor venit deditum iri hostes. — Vos mihi testes estis me vera loqui. — Hannibal praemisso nuntio se Capuae postridie futurum, proficiscitur cum modico equitatu.

Verba dubitativa.

Num. 331—335.

748. Dubitaverat Augustus Germanicum Romanis praeficere. — Miltiades non dubitans consilia sua perventura ad aures regis, reliquit Chersonesum. — Nec dubites, pistor, utilem esse alicam.

749. Id ego jusjurandum ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse possit, *quin* reliquo tempore eadem mente sim futurus. — Num dubitas, *quin* specimen naturae capi deceat ex optimo quoque? — An vero dubitatis, judices, *quin* insitas inimicitias istae gentes gerant cum populi Romani nomine?

750. Vide, quanto opere, quae tua intererant, curarim; et dubita, si potes, *quin* te unice diligam. — Quae illi audire et legere solent, ea egomet gessi: jam dubitate, si audetis, *quin* sim illis belli peritior.

751. Inter mortales certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. — Volo scire, album vinum an nigrum potes. — Dubius sum, gratulerne tibi an metuam.

752. Lydus et Tyrrhenus sortiti sunt, uter patria excederet. — Quis dubitet, imperator suo an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit. — Usus est adjutore Junio Bleso, viro nescias utiliore in castris an meliore in toga.

753. Utrum fugere an manere tutius foret, in incerto est. — Imperator in obeundis expeditionibus dubium est cautior an audentior fuerit. — Multi dubitavere, fortior an felicior esset Sulla.

754. Videro, cessurusne provocationi sis. — Quaestio incerta est, valeantne incantamenta carminum. — Venit Poenus quaesitum, pacem an bellum agitaturus fores.

755. Nihil quaerere debetis, nisi uter utri insidias fecerit. — Quid tu malum curas, utrum ego crudum an coctum edim? — Refert etiam, qui audiant, senatus an populus an judices.

Verba voluntativa et hortativa.

Num. 336—340.

756. Carere me aspectu civium quam infestis omnium oculis conspici mallem. — Ego me nunc vòlo jus fetiale optime scire. — Istos reges memorare non volo, hominum mendicabula.

757. Siquid jubebat, ut facerem, Pomponium exemplo esse ajebat. — Si ego tale facinus patravi, omnium hominum opto *ut* fiam miserrimus. — Volo, *ne* tam cito aes, quod credidisti, me reposcas.

758. Jam mallem Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres. — Hanc fabricam fallaciasque si parum tenetis, denuo volo perspiciatis. — Velim domum ad tuos scribas, *ut* mihi pateant tui libri.

759. Optandum fuit Lentulo, *ut ne* cum L. Catilina iniret societatem. — Nisi quid necesse est, malo, ne roges. — Per ego te has lacrymas precor quaesoque, ne me deseras.

760. Diligo ego gnatum meum voloque ingenio ejus obsequutum. — Si quemquam dii voluere auxilio adjutum, me et Callidorum servatos volunt. — Istam ego rem ambo vos monitos volebam.

761. Huic ancillae mandes, siquid recte curatum velis. — Orant me, ut Roscii famam et filii innocentis fortunas conservatas velim. — Quia nati sunt cives, monitos eos etiam atque etiam volo.

762. Homini natura praescribit, ut nihil pulchrius quam hominem putet. — Oratum ierunt deam, ut sibi esset propitia. — Verres scribit ad quosdam Melitenses, ut ea vasa perquirant.

763. Per me vel stertas licet, non modo quiescas. — Si te recte monere volet, suadebit tibi, hinc discedas. — Obsecro te, puer, nequid matri tuae adversus sis.

764. Opera datur, *ut* judicia *ne* fiant. — Magnam curam suscipiebat, *ne* quo temere progrederetur. — Quamobrem *aggredere,* quaeso, et sume ad hanc rem tempus.

765. Quaeso, hercle, *facessite* hinc procul. — *Abite* hinc, obsecro; et nostra Glycerium sinite quiescat. — *Parce,* precor, fasso mihi.

766. Per mihi gratum feceris, si id curaris ad me *perferendum.* — Attici admonitu, Caesar aedem Jovis *reficiendam* curavit. — Censeo *latendum* tantisper, dum defervescat haec gratulatio. —

767. Dominus me curavit rei capitalis *damnandum dandum*que ad bestias. — Censeo, ecastor, hanc *dandam* sibi veniam. — Legatos in Africam *mittendos* constituerat senatus.

768. Domitium non spoliatio dignitatis, sed mea auctoritas excitavit *ad recuperandam* libertatem. — Me *ad mutuandam* pecuniam hortabantur foeneratores. — Canius amicos postera die domum suam invitat *ad coenandum.*

Verba eventus et convenientiae.

Num. 341—345.

769. Conchyliis omnibus contingit, *ut* cum luna crescant pariter. — Forte evenit, *ut* agrestes Romani ex Albano agro praedas agerent. — Nihil propius factum est, *quam ut* perirem.

770. Aberit non longe, *quin* hoc a me decerni velit. — Parum abfuit, *quin* rueret in praeceps. — Nihil propius factum est, *quam ut* Poenus sub jugum mitteretur.

771. Qui alterum incusat probri, se ipsum intueri oportet. — Expedit, ut singulae civitates suas leges habeant. — Ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est.

772. Vide, ne indicaris: quoquo pacto, tacito est opus. — Ubi consulueris, mature facto opus est. — Copiam quam largissime factam oportuit.

773. Id ego quaero, quod mihi quaesito opus est. — Dum stas, reditum huc oportuit. — Mansum domi tam diu oportuit, quoad herus rediret.

Verba affectiva.

Num. 346.

774. Nec pudeat *tenuisse* bidentem et stimulo tardos *increpuisse* boves. — Laetus erat populus tot se congiariis

esse donatum. — Hoc, soror, crucior nostrum parentem adeo viri improbi officio *uti.*

775. Mirari soleo, *quod* numquam tibi gravem senectutem esse senserim. — An poenitet vos, *quod* salvum exercitum traduxerim? — Mirari Cato se ajebat, *quod* non rideret haruspex, haruspicem quum videret.

776. Minime mirandum est, *si* eam eloquentiam flagitiose venditas, quam turpissime parasti. — Miror, in illa superbia *si* quemquam amicum habere potuit. — Mirum, *ni* adolescens salvus est, et ego perii longe illo valentior.

777. Mirum, *quin* Sempronio nupserim, qui ante mortuus est, quam ego nata sum. — Mirum, *quin* Davo credam, homini omnium mendacissimo. — Mirum, *ni* solus possis, quod multi valentiores te non potuerunt.

Verba timoris.

Num. 347—349.

778. Contra libertum Caesaris *ire* times. — Vereor, *ne* lepore te suo detineat diutius rhetor Clodius. — Pharnaces veritus, *ne* cognoscerentur insidiae, suos in castra revocavit.

779. Non audet boves pastum mittere; nam metuit, *ut* possit redigere in bubillum. — Omnes labores te excipere video; timeo, *ut* queas sustinere. — Sed duo illa, Crasse, vereor, *ut* tibi possim concedere.

780. Vereor, *ne* Latinae in officio *non* maneant. — Non vereor, *ne* hoc officium meum judici *non* probem. — Timeo, *ne non* impetrem, quae posco.

781. Tu istos minutos deos *cave* flocci feceris. — Tu aquam Albanam *cave* manare sinas. — Bibliothecam tuam *cave* cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem invenias.

782. Caveamus, *ut* ea, quae pertinent ad liberalitatem, moderata sint. — Caverat Antonius, *ut*, si tibi pecuniam ereptam ex aerario dedisset, socium praedae te praeberes. — Quamvis tempestive sementis confecta sit, cavebitur, *ut* patentes liras faciamus.

Verba prohibitiva.

Num. 350.

783. Vetat dominans in nobis Deus e vita injussu suo demigrare. — Caesar cognovit per Afranium stare, *quominus* proelio dimicaretur. — Vix me contineo, *quin* involem in capillum.

784. Cur vetas, Atrida, *ne*quis humare velit Ajacem? — Pythagoricis interdictum erat, *ne* fava vescerentur. — Nullus me prohibebit, *ne* te sacruficem, verbero.

785. Nihil impedit, *quominus* id, quod maxime decet, facere possimus. — Non est recusandum, *quominus* ea, qua nati sumus, conditione vivamus. — Religio C. Mario non fuerat, *quominus* C. Glauciam occideret.

Modus finalis.

Finalis per particulas.

Num. 351—353.

786. Ideo Claudius Pulcher retulit simulacrum, *ut* C. Verres posset auferre? — Custos ponatur in hortis Priapus, *ut* terreat aves. — Duo millia jugerum rhetori assignasti, *ut* pro tanta mercede nihil sapere disceres.

787. Animum advorte, *ut,* quod ego ad te venio, intelligas. — In anginam me velim vorti, *ut* veneficae illi faucis prehendam. — Hanc simulant Phormioni nupsisse, *quo* Chremetem absterreant.

788. Collocandam in fundo dotem curavit, *quo* puellae res cautior esset. — Omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis consumo, *quo* paratior ad usum forensem esse possim. — Ob eam rem Orcus recipere ad se noluit hunc coquum, *uti* sit, qui mortuis coenam coquat.

789. Magnesiam Themistocli rex donarat, *quae* ei panem praeberet. — Romulus legatos misit, *qui* societatem peterent. — Homo alterum anquirit, *cujus* animum cum suo commisceat.

790. Antonium misi ad te, *cui* traderes cohortes. — Minas mihi plus viginti eripuisti, *quas* gnato dares. — Pueris parvulis dantur crepundia, *quibus*cum lusitent.

791. Bacillum prope me, *quo* aves abigam, ponitote. — Ajebant sese jam ne deos quidem habere, ad *quos* confugerent. — Cultrum habeo, *quo* senis exenterem marsupium.

792. Fuge domum, quantum potes, *ne* hic te obtundat. — Adserva istunc puerum, *ne* quo hinc abeat longius. — Sic, *ne* perdiderit, non cessat perdere lusor.

793. Eo consilio litteras Romam dat, *ne,* si tempus sationis praeteriisset, plebs frumentum non haberet. — Vitem bene enodatam religato, *ut ne* sit flexuosa. — Magna te cura vigilare decet, *ne*cujus capiaris insidiis *neve* astu decipiaris.

794. Serva domi, puella, *ne*qui fures ingrediantur ad capsas. — Valetudinem causatur, *quominus* socrum salutatum eat. — Congerere se ait nummos, *quominus* in senectute egeat.

Finalis per participium.

Num. 354.

795. Hannibal in Etruriam iit, eam quoque gentem *debellaturus.* — Pax candida primum duxit *arraturos* sub juga curva boves. — Laeto complerant littora coetu *visuri* Aeneadas.

796. Aude Caesaris res dicere magna laboris praemia *laturus.* — Errabundi vagabantur domos suas ultimum *visuri.* Quotiens ego, gnate, vitae tuae *provisurus* noctes egi insomnes.

797. Ei sutori *calceandos* nemo commisit pedes. — Tenet fama a Faustulo ad stabula Larentiae *educandos* latos esse infantes. — Jam, hercle, ego illum dabo *excruciandum* carnufici.

Finalis per gerundium.

Num. 355.

798. Mei capitis *servandi* causa Romam Italia tota convenit. — Quum Philogenes Laodiceam ad me, *salutandi* causa, venisset, has ei litteras dedi. — Ad has ego ei litteras nihil respondi, ne *gratulandi* quidem causa.

799. Leo sublatum pedem porrigere visus est, quasi opis *petendae* gratia. — Tu quidem, ut familiarissimi tui dictitant, vini *exhalandi,* non ingenii *acuendi* causa declamas. — Quiesce, mea Phronesium: non feci *objurgandi* tui causa, sed *testificandi* fidei meae.

800. Multi principes civitatis Roma profugerunt sui *conservandi* causa. — Nostri insidias rati manserunt in excubiis castrorum causa *defendendi.* — Huc ego, quantum potui, festinavi, vestri *admonendi* causa.

801. Aemilius, qui pejor an ignavior sit, deliberari non potest, exercitum habet *opprimendae* libertatis. — Adolescens laetae indolis coenam amicis in rusculo dabat *celebrandae* lucis annuae. — Pulso Tarquinio, populus multa creavit *tuendae libertatis.*

802. Perfidia et peculatus ni aberunt, rebus *servandis* centuplex murus parum est. — Comitia decemviris *creandis* in trinundinum creata sunt. — Antonius cum collegis *potando* operam dedit.

803. Ad erudiendum liberalibus disciplinis indolem pueri, Apolloniam eum in studia misit. — Nuntiatum est Ariovistum *ad occupandum* Vesuntionem contendere. — Tuis ego sororibus facultatem ad se aere alieno *liberandas* dedi.

Finalis per supinum.

Num. 356.

804. Curre per deos et quam primum haec *risum* veni. — Tribunitiam potestatem *eversum* profecti sunt. — Hic patriam *defensum* revocatus, bellum gessit adversus P. Scipionem.

805. Bocchus initio belli legatos Romam miserat, amicitiam *petitum.* — Prandium curatum est; ubi lubet, licet ire *accubitum.* — Exi e delubro, sycophanta; vos in aram accedite *sessum.*

806. Coriolanus, damnatus absens, in Volscos *exsulatum* abiit. — Nonnulli, quum longius *praedatum* processissent, ab equitibus hostium excepti sunt. — Non tu me argento dabis, opinor, *nuptum,* sed viro.

Modus causalis.

Causalis per particulas.

Num. 358—360.

807. Pater saevit, quod filius uxorem grandi cum dote *recuset.* — Is non videtur insanus, eo quod maxima pars hominum morbo *jactatur* eodem. — Duabus de causis Rhenum transire Caesar constituit, quarum una, quod auxilia contra se Treveris *miserant.*

808. Quia consules ad id locorum prospere rem *gererent,* minus iis cladibus movebantur. — Beate vixisse videar, quia cum Scipione *vixerim.* — A consule nihil speres boni, quia non *vult;* nihil metuas mali, quia non *audet.*

809. Aristides ob eam causam expulsus est patria, quod praeter modum justus *erat.* — Multae sunt causae, *quamobrem* cupio eum abducere. — Pol, *hoc est, quod* ire rus meus vir noluit.

Causalis per participium.

Num. 361.

810. Veturius Samnitibus, *ob* turpiter *ictum* foedus, deditus fuerat. — Dedit servus poenas *ob subreptum* e vividario pavonem. — Flaminium Caelius, religione *neglecta,* cecidisse apud Trasimenum scribit.

811. Mihi senatus supplicationem decrevit, republica bene *gesta.* — *Exstincto* Daphnide, Poeni ingemuere leones. — Cras, *nato* Pompejo, licebit militibus esse feriatis.

Modus conditionalis.

Num. 362—368.

812. Equitare in arundine longa siquem *delectet* barbatum, amens dicatur. — Nae tu, si id *fecisses,* melius famae tuae consuluisses. — Si verbum *faxis,* vapulatum ibis.

813. Si stimulos pugnis *caedis,* manibus plus dolet. — Respiraro, si navis Cumas *appulerit.* — Si denuo *pultaveris,* hac tegula tuum comminuam caput.

814. Naturam si *sequemur* ducem, numquam aberrabimus. — Si *morabitur* alvus, mitulus et viles pellent obstantia conchae. — Nondum commemoro rapinas; mox, si *videbitur*, ut cum fure disputabo.

815. Nisi quae me forte *fugiunt,* hae sunt omnium de animo sententiae. — Qui nisi *exeunt,* nisi *pereunt,* scitote hoc in republica seminarium catilinarium futurum. — Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus *esset,* Romanos videretur superare potuisse.

816. Non, aedepol, scio molestum an non sit, nisi si *dicis,* quid velis. — Quid facturus sis, si tibi non *est* molestum, velim mihi scribas. — Velim mihi dicas, nisi molestum *est,* L. Turselius qua facie fuerit.

817. Quaeso, me quoque vende, *dum* saturum vendas. — Sit sane facetus, *modo ne* sit molestus. — Mihi consilium fuit, cujus rei libet periculum facere, *dum* quid tibi ex eo gloriae accederet.

818. Si mens non laeva fuisset, *impulerat* ferro Argolicas foedare latebras. — Herba est simillima lauro; et si non alium jactaret odorem, laurus *erat.*

819. *Perierat* alter filius, si carnifici conviva non placuisset. — Si P. Sextius occisus esset, *fuistis*ne ad arma ituri? — Relicturi agros *erant,* nisi ad eos Metellus Roma litteras misisset.

Modus temporalis.

Temporalis per particulas.

Num. 369—374.

820. Quum Metellus e sinu patriae *eriperetur,* hausi dolorem acerbissimum. — Zenonem, *quum* Athenis *essem,* audiebam frequenter. — Uxorem quondam quum sol *vellet* ducere, clamorem ranae sustulerunt ad sidera.

821. Barbam capellae quum *impetrassent* ab Jove, hirci indignari coeperunt. — Themistocles quum in epulis *recusas-*

set lyram, habitus est indoctior. — Quum ad Canopum *ventum esset,* Euphranor circumventus ab Alexandrinis est.

822. Nequid accideret, veritus sum, quum contra talem artificem *essem dicturus.* — Quum Vestinus per Stygias *esset iturus* aquas, ultima volventes orabat pensa sorores. — Quum Saturninus legem frumentariam *laturus esset,* Caepio docuit senatum.

823. Ubi *facta erit* conlatio nostrarum malitiarum, haud vereor, nequa perfidia vincamur. — Quum tu haec *leges,* ego illum fortasse convenero. — Ubi cum Dardalo me *videbis* colloqui, tunc turbam facito.

824. Quum remiges concitato navigio *inhibuerunt,* retinet tamen navis ipsa cursum suum. — Quum se inter equitum turmas *insinuaverunt,* ex essedis desiliunt. — Haec Crassi oratio quum *edita est,* quatuor et triginta habebat annos.

825. Quum, bene re gesta, salvus *convortor* domum, Neptuno grates habeo. — Quum *redeo,* Hortensius venerat. — Quum inde *abeo,* jam inceperat turba inter eos.

Temporalis per participium.

Num. 375—382.

826. Dionysius cultros *metuens* tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum. — Caesari ex Hispania *redeunti* longissime obviam processisti. — Vultejum Philippus *vendentem* scruta popello occupat.

827. Cur turbulentam fecisti mihi aquam *bibenti?* — Atticus, quae amicis suis opus fuerant ad Pompejum *proficiscentibus,* omnia e re sua familiari dedit. — Cajo in Capitolium intempesta nocte *eunti* numquam canes allatraverunt.

828. Jacet res in controversiis, isto *calumniante,* biennium. — Borea *flante,* ne arato. — P. Clodium, *approbante* populo Romano, in foro es conatus occidere.

829. Filius Aesopi *detractam* ex aure Metellae aceto diluit insignem baccam. — Neque eo secius Marium hostem *judicatum* Atticus juvit opibus suis. — Ab ipso *repudiatus,* quem appellet, praeter te habet neminem.

830. Multis verbis ultro citroque *habitis*, ille nobis consumptus est dies. — Hac emptione *facta*, pecunia solvitur a Caesenia. — Hannibal, spe potiundae Nolae *adempta*, Acerras recessit.

831. Tiberius, *castigatis* oblique patribus, M'. Lepidum nominavit. — Herculem, Geryone *interfecto*, boves abegisse memorant. — Multis sententiis jam *dictis*, rogatus sum sententiam.

832. Romanus, eos in Algido *consequutus*, omnes ad unum occidit. — Hanc navem *conspicati* hostes, non tenuerunt sese. — Vos, Quirites, quoniam jam nox est, *venerati* Jovem in vestra tecta discedite.

833. Unus Romanorum, ex propinquo murum *contemplatus*, rem ad Marcellum defert. — Pauca pro tempore milites *hortatus*, aciem in planum deducit. — Caesar, multos annos regnare *meditatus*, magno labore, quod cogitarat, effecerat.

834. Ubi me vitae illius ferinae pertaesum est, leone venatum *profecto*, reliqui specum. — Castris Romanis Sempronius praeerat, dictatore *profecto* Romam. — *Defuncto* rege Artaxia, Arsacem, liberorum seniorem, regnasse ajunt.

835. Bellum Alexander *gesturus* amicos in consilium advocari jubet. — De parvula summa *judicaturo* tibi res sine teste non probaretur. — De hac re vos consulo *staturus* eo, quod plures censueritis.

836. Nero, *animadversurus* in latrones duo, distulit sententiam dicere. — Tantalus est illic et circum stagna, sed acrem jamjam *poturi* deserit unda sitim. — *Abiturus* illuc, quo priores abierunt, quid mente caeca miserum torques spiritum?

837. Comprehendi Darius non poterat, tot Persarum millibus *laturis* opem. — Circumsidunt urbem, haud dubie postero die *dedituris* se hostibus. — Constiterunt in acie, non pugnaturis militibus.

838. Ecce autem, repente, *ebrio Cleomene*, dormientibus ceteris, nuntiatur piratarum naves adesse. — Cato affirmat, *se vivo*, Pontinum non triumphare. — Quod, *te auctore*, velle coepi; adjutore, assequar.

839. Occurrebat mancam praeturam suam futuram, *consule Milone.* — Non ego Daphin, *judice te,* metuam. — Quam bene *Saturno* vivebant *rege.*

840. Diis ego *ducibus,* in hanc sententiam sum ingressus. — *Te inquilino,* personabant omnia vocibus ebriorum. — Senex est laudator temporis acti, *se puero.*

Temporalis per gerundium.

Num. 383—384.

841. Hos *accusando,* illos *occidendo* totam rempublicam labefactavit. — Nihil *agendo* homines male agere discunt. — Homines ad deos nulla re magis accedunt, quam salutem hominibus *dando.*

842. Hominis mens *discendo* alitur et *cogitando.* — Jussus eras celebrare dapes festumque *canendo.* — Micipsa sperans Jugurtham *ostendendo* virtutem facile occasurum, praefecit eum Numidis.

843. Quis talia *fando* temperet a lacrimis? — *Sedendo* expugnaturum se urbem Porsena spem habebat. — Si quam *maledicendo* voluptatem cepisti, eam male *audiendo* amittes.

844. Ea tellus non mansuescit *arando.* — Memoria ex-*colendo* augetur. — Ventus fit, ubi est *agitando* percitus aër.

845. Quis est qui nullis officii praeceptis *tradendis* philosophum se audeat dicere? — Hannibal *visenda* urbe magnam diei partem consumpsit. — Est multiplex pueri hujus ingenium; quo ego *regendo* habeo negotii satis.

846. Potum pastas age capreas et inter *agendum* occursare capro caveto. — Inter *disceptandum* cognita est iniquitas. — Auro civitatem a Gallis redemistis, et inter *accipiendum* aurum caesi sunt.

Modus correlativus.

Num. 385—390.

847. Tam eras excors tota in oratione tua, *ut* non tanta mecum, quanta tibi tecum esset contentio. — Quis est homo *tanta* confidentia, *ut* sacerdotem audeat violare? — *Tanti* non fuit Arsacem capere, *ut* earum rerum spectaculo careres.

848. *Tantum* cibi et potionis adhibendum est, *ut* reficiantur vires, non opprimantur. — *Huccine* omnia reciderunt, *ut* civis Romanus virgis caederetur? — Marcellus candidatus *ita* stertebat, *ut* ego vicinus audirem.

849. Nec tamen *is* sum, *ut* mea me maxime delectent. — *Is* meus fuit domum e foro reditus, *ut* nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur. — Neque *is* es, Catilina, *ut* te ratio a furore revocarit.

850. Conjurati sunt *ita* multi, *ut* eos carcer capere *non* possit. — *Ita* possideto, *ut* Quinctio vis *ne* afferatur. — *Ita* a pariete hae distent, *ut ne* plus pateant palmo.

851. Regnare nolo, liber *ut* non sim mihi. — Est oratio scripta elegantissime, *ut* nihil possit ultra. — Salsa muriatica, nisi aqua diu macerantur, olent, tangere *ut* non velis.

852. Ruere illa non possunt, *ut* haec non eodem labefacta motu concidant. — Potest igitur, judices, L. Cornelius condemnari, *ut* non C. Marii factum condemnetur? — Causa est post urbem conditam haec inventa sola, *in qua* omnes sentirent unum atque idem.

853. Non sum tam insolens, *qui* me Jovem esse dicam. — Quae est anus tam delira, *quae* timeat ista Acherontia? — Equidem vehementer laetor eum esse me, *in quem* tu nullam contumeliam jacere potueris, quae non ad maximam partem civium conveniret.

854. Scilicet *is* sum, *qui* Pisonem et Catilinam putem nihil audacter facere potuisse. — Nihil mihi *tam* parvi est, *quin* me id pigeat perdere. — Neque fuit *tam* opulentus quisquam, *quin* caderet.

855. Musca est meus pater; nihil potest clam illum *sic* haberi, *quin* ibi eloco adsit. — Hospes nullus *tam* in amici hospitium devorti potest, *quin,* si triduum fuerit, jam odiosus sit. — Numquam illos aspicio, *quin* per hunc me conservatum esse meminerim.

CAPUT SECUNDUM.

THEMATA SECUNDI GRADUS.

De animantibus.

856. Animantium quanta varietas est, quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae; pluma alias, alias squama videmus obductas; alias esse cornibus ornatas, alias habere effugia pennarum. Pastum vero animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus est, comparavit. Atque ad pastum capessendum conficiendumque, quam admirabilis est fabrica membrorum.

857. Dedit natura belluis sensum et appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando [1]; cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum: alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt.

858. Atque etiam aliorum ea est humilitas [2], ut cibum terrestrem rostris facile contingant; quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cycni, ut grues, ut cameli, adjuvantur proceritate collorum. Manus etiam data est elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum. At quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque sollertia, ut araneolis; aliae quasi rete texunt, ut, siquid inhaeserit, conficiant; aliae autem, ut ex inopinato, observant, et, siquid incidit, arripiunt atque consumunt. (Cic.)

De sensibus.

859. Sensus interpretes ac nuntii rerum in capite tamquam in arce mirifice ad usus necessarios facti sunt. Nam oculi tamquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo

[1] Vide n. 383. [2] Vide n. 387.

plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures, quae sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod cibi et potionis judicium magnum haberent, non sine causa vicinitatem oris sequutae sunt.

860. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequaliter fusus est, ut omnes ictus et nimios frigoris caloris-que appulsus sentire possimus. Atque, ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quae profluentia necessario tetri essent aliquid habitura; sic natura res similes procul amandavit a sensibus. (CIC.)

Cyrus colens agrum.

861. Ut intelligatis nihil tam regale videri quam studium agri colendi, memorat Xenophon Cyrum, regem Persarum, quum Lysander venisset ad eum Sardis, ei quendam conseptum agrum, diligenter consitum, ostendisse: quumque admiraretur Lysander proceritates arborum et directos in quincuncem ordines et humum subactam et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus[1]:

862. Ei Cyrum respondisse: atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae. Tum Lysandrum, intuentem ejus purpuram et nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro multisque gemmis, dixisse: recte vero[2] te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta est. (CIC.)

Pugna contra immanem anguem.

863. Regulus trajecit in Africam et Clypeam urbem trecentaque castella expugnavit; neque cum hominibus tantum, sed etiam cum monstris dimicavit. Nam quum apud Bagradam flumen castra haberet, anguis mirae magnitudinis exercitum

---

[1] Vide n. 258. [2] Vide n. 218, a.

Romanum vexabat: multos milites immani ore corripuit; plures caudae verbere elisit; nonnullos ipso pestilentis halitus afflatu exanimavit.

864. Neque is telorum ictu perforari poterat, quippe[1] qui durissima squamarum lorica tela facile repelleret. Confugiendum fuit ad machinas, et adversis ballistis, tamquam arx quaedam, dejiciendus fuit. Tandem saxorum pondere oppressus jacuit; sed cruore suo flumen et vicinam regionem infecit Romanosque castra movere coëgit. Corium belluae centum et viginti pedes[2] longum Romam misit Regulus. (APUD LHOM.)

Nex Vitellii.

865. Ut irruperunt in regiam sicarii, confugit Vitellius in cellulam janitoris, quam, religato ad ostium cane, muniit lectoque et culcita objectis. Extractus e latebra rogare coepit, quasi aperturus aliqua de Vespasiano, ut vel in carcere custodiretur; sed surdis canebat: religatis post tergum manibus, injecto cervicibus laqueo, seminudus in forum tractus est per viam sacram inter rerum verborumque ludibria.

866. Quidam eum stercore et coeno incessebant; alii incendiarium et patinarium vocitabant; alii corporis vitia exprobrabant (erat enim ei facies rubida plerumque ex[3] vinolentia, venter obesus et alterum femur subdebile). Tandem ad Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est et inde unco tractus in Tiberim. (SUET.)

Sepultura philosophi.

867. Cum rex Lysimachus crucem Theodoro philosopho minaretur, ista, inquit, minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest, humine an sublime putrescat. Cujus dicto admoneor, ut aliquid etiam de sepultura dicam.

868. Socrates, cum moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vellet; multam vero, inquit, operam, amici, frustra consumpsi. Critoni enim nostro non

---

[1] Vide n. 213. [2] Vide n. 288. [3] Vide n. 172, c.

persuasi me hinc avolaturum; verumtamen, Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi videbitur, sepelito.

869. Durior Diogenes, ut Cynicus, projici se jussit inhumatum; tum amici: volucribusne et feris? Minime, vero, inquit, sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Quî poteris, illi; non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?[1]

870. Praeclare Anaxagoras, qui, cum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, siquid ei acciderit, auferri; nihil necesse est, inquit, undique enim ad inferos tantumdem viae est. (Cic.)

Opes non sunt bona.

871. Vereor, necui vestrum ex Stoicorum disputationibus, non ex meo sensu, deprompta haec videatur oratio: dicam tamen, quod sentio. Numquam, mehercule, ego neque pecunias neque tecta magnifica neque imperia neque voluptates in bonis rebus et expetendis esse duxi, quippe cum viderem eos, qui his circumfluunt, ea tamen desiderare, quibus abundarent.

872. Neque enim expletur unquam neque satiatur cupiditas. Neque solum, qui ea habent, cruciantur libidine augendi, sed etiam amittendi metu. Potestne quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam improbi habeant, et obsint probis. Quamobrem licet irrideat, si quis vult; plus apud me tamen vera ratio valebit quam vulgi opinio. (Cic.)

Dimicatio cum feris.

873. Barbarae opulentiae in Bazaria haud ulla sunt majora indicia quam magnis saltibus clausi ferarum greges. Spatiosas ad hoc eligunt[2] silvas, crebris perennium aquarum fontibus amoenas. Muris nemora cingunt turresque habent venantium receptacula. Quatuor aetatibus intactum saltum fuisse constabat, quem Alexander cum exercitu ingressus agitari undique feras jussit.

---

[1] Vide n. 375. [2] Vide n. 298.

874. Quum leo magnitudinis rarae ipsum regem invasurus incurreret, proximus Alexandro Lysimachus venabulum objicere coeperat; quo rex repulso, feram non excepit modo, sed etiam uno vulnere occidit. Ceterum Macedones, quamquam prospero eventu defunctus erat Alexander, tamen scivere, ne pedes venaretur aut sine delectis principum. Ille, quatuor millibus ferarum[1] dejectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est. (CURT.)

Dionysius irridet deos.

875. Dionysius, expilato Proserpinae fano, navigabat Syracusas, quumque secundissimo vento cursum teneret, videtisne, inquit ridens, quam bona a diis immortalibus navigatio sacrilegis detur?

876. At ubi classem ad Peloponnesum appulit, ingressus templum Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo; atque in eo etiam cavillatus est aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum. Idem Aesculapii barbam auream demi jussit; neque enim convenire[2] barbatum esse filium, cum in omnibus delubris pater imberbis esset. (CIC.)

Mansuetudo Antigoni regis.

877. Quid facilius fuit Antigono quam duo manipulares plectere, qui incumbentes regio tabernaculo male de rege loquebantur? Audierat omnia Antigonus, ut pote cum inter dicentes et audientem velum interesset, quod ille leviter commovens, longius, inquit, discedite, ne vos rex audiat.

878. Idem cum quosdam e militibus suis exaudisset omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter deduxisset, accessit ad eos, qui maxime laborabant et cum ignaros, a quo juvarentur, expedisset, nunc, inquit, maledicite Antigono.

879. Tam miti animo hostium maledicta quam civium tulit. Nam in castello quodam cum Graeci obsiderentur et fiducia loci multa in Antigonum jocarentur et nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: gaudeo, inquit rex,

[1] Vide n. 42, b. [2] Vide n. 314, b.

quod Silenum in castris habeo. Cumque hos dicaces fame domuisset, victis sic usus est, ut eos, qui militiae utiles erant, in cohortes describeret, ceteros praeconi subjiceret, id quoque se negans facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam liberam haberent linguam. (SEN.)

Excidium Carthaginis.

880. Cum Romani, suadente Catone[1], deliberassent Carthaginem diruere, Carthaginiensibus imperatum est, ut, si salvi esse vellent, ex urbe migrarent sedemque alio loco procul a mari constituerent. Quod ubi Carthagine auditum est, ortus est clamor satius esse extrema omnia pati quam patriam relinquere. Quum vero neque naves neque arma haberent, in usum novae classis domos resciderunt aurumque et argentum pro aere ferroque conflaverunt.

881. Viri, feminae, pueri, senes simul operi instabant; non die, non nocte labor intermissus. Ancillas primo totonderunt, ut ex earum crinibus funes facerent; mox etiam matronae capillos suos ad eundem usum contulerunt.

882. Scipio igitur exercitum ad Carthaginem admovit eamque oppugnare coepit: quae urbs, quamquam summa vi defendebatur, tamen expugnata est. Rebus desperatis, quadraginta millia hominum se victori tradiderunt.

883. Dux ipse Hasdrubal, inscia uxore, ad genua Scipionis cum ramis oleae supplex accidit. Quum vero uxor se a viro relictam sensit, eum diris devovit seque cum duobus liberis a culmine domus in medium flagrantis urbis incendium demisit. Deleta Carthagine, Scipio victor, Romam reversus, splendidum egit triumphum Africanusque est appellatus. (APUD LHOM.)

Triumphus Pauli Macedonici.

884. Post partam in Macedonia victoriam, Paulus Aemilius regia nave ad urbem est subvectus; cui obviam effusa multitudo Tiberis ripas compleverat. Fuit ejus triumphus omnium longe magnificentissimus. Populus, exstructis per forum tabu-

[1] Vide n. 375, b.

latis, in modum theatrorum, spectavit in candidis togis. Aperta templa omnia et sertis coronata thure fumabant.

In tres dies distributa pompa est: primus dies vix suffecit transvehendis[1] signis tabulisque; postridie translata sunt arma, galeae, scuta, loricae, pharetrae, argentum aurumque. Die tertio, primo statim mane ducere agmen coepere tubicines non festos modos, sed bellicum[2] sonantes, quasi in aciem procedendum foret. Deinde agebantur cornibus auratis et vittis redimiti boves centum et viginti. Sequebantur Persei liberi, comitante educatorum turba, qui manus ad spectatores cum lacrymis miserabiliter tendebant. Pone filios incedebat cum uxore Perseus attonito similis.

Inde quadringentae coronae aureae portabantur ab omnibus fere Graeciae civitatibus dono missae. Postremus ipse in curru Paulus auro purpuraque fulgens eminebat, qui magnam vel corporis dignitate vel senecta ipsa majestatem prae se ferebat. Post currum equites turmatim et cohortes peditum suis quaeque ordinibus sequebantur. (APUD LHOM.)

Scipio puerum captivum remittit ad suos.

885. Quum Afri jussu imperatoris venderentur, puer inter captivos inventus est regio genere et forma insigni. Is ad Scipionem ducitur, rogatusque, cujas esset et cur id aetatis[3] militaret: «Numida, inquit, sum, Massivam populares vocant; apud avum Galam, regem Numidarum, educatus sum. Cum avunculo Masinissa, qui nuper subsidio Carthaginiensibus venit, in Hispaniam trajeci; sed prohibitus propter aetatem numquam proelium inieram. Quo die pugnatum cum Romanis est, inscio avunculo, clam armis equoque sumpto, in aciem exivi; sed, prolapso equo, captus sum ab hoste. —

886. Scipio puerum interrogat, velletne ad Masinissam avunculum reverti? Quum ille, effusis gaudio lacrymis, cupere vero diceret, tum puero annulum aureum, tunicam cum lato clavo et aurea fibula equumque phaleratum donat jussisque prosequi, quoad vellet, equitibus, dimisit. (LIV.)

---

[1] Vide n. 127, b. [2] Vide n. 141, a. [3] Vide n. 235, a.

Hannibal dolo grassatur.

887. Hannibal, ut Eumenem superaret, dolo grassari[1] constituit. Imperavit viperas quam plurimas colligi et in vasa fictilia conjici. Die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocat hisque praecipit, ut omnes in unam navem Eumenis concurrant, a ceteris satis habeant se defendere; id facile illos jactu serpentium consecuturos[2].

888. Eumenes committere proelium non dubitavit; quo inito, Bithynii, Hannibalis praecepto, universi navem Eumenis adoriuntur; quorum vim quum rex sustinere non posset, salutem fuga petiit. Dein cum reliquae naves adversarios premerent acrius, repente in eas vasa fictilia plena viperis conjici coepta sunt[3]: quae jacta initio risum pugnantium concitarunt; sed, postquam naves completas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, puppes averterunt seque ad sua castra nautica retulerunt. Sic Hannibal consilio arma Eumenis superavit, quum impar ei esset propter societatem Romanorum. (NEP.)

Ciceronis eruditio.

889. Notus est vobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur; in cujus extrema parte initia gradusque suae eloquentiae refert, se apud L. Minucium jus civile didicisse; apud Philonem Academicum philosophiam penitus hausisse; neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achajam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur.

890. Itaque in libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae, non ullius scientiam ingenuae artis ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis disciplinae utilitatem, ille rerum motus causasque didicit: ita ex pluribus artibus et omnium rerum scientia exundat illa admirabilis eloquentia. (TAC.)

Hannibal callide servat aurum.

891. Cum Cretam ad Gortynios venisset Hannibal, vidit vir omnium callidissimus magno se fore in periculo, nisi quid

---

[1] Vide n. 244. [2] Vide n. 314, b. [3] Vide n. 318, c.

providisset, propter avaritiam Cretensium. Sciebat enim exisse famam de grandi pecunia, quam secum portabat. Itaque cepit tale consilium: amphoras complures implet[1] plumbo, summas operit auro et argento. Has, praesentibus principibus, deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorum fidei credere.

892. Cretensibus in errorem inductis, statuas aereas, quas secum portabat, sua pecunia complet easque in propatulo domi abjicit. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris quam ab Hannibale, nequid ille, inscientibus his, tolleret secumque duceret. Sic conservatis suis rebus, Poenus, illusis Cretensibus, ad Prusiam in Pontum pervenit. (NEP.)

De usu temporis.

893. Vindica te tibi: et tempus, quod adhuc excidebat, collige et serva. Quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est jactura, quae per negligentiam fit; et si volueris attendere, maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem aestimet, qui intelligat se quotidie mori?

894. In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus; magna pars ejus jam praeteriit; quidquid aetatis retro est, mors tenet. Utendum est tempore, priusquam abit; incumbendum ad studia liberalia. Mentiuntur, qui sibi obstare ad studia turbam negotiorum causantur. Simulant occupationes et augent et ipsi se occupant. Ego mihi vaco et, ubicumque sum, ibi meus sum. Rebus enim me non trado, sed commodo; nec consector terendi temporis causas. Et quocumque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto et aliquid in animo salutare verso. (SEN.)

Crudelitas Vedii.

895. Cum Caesar coenaret apud Vedium, fregit unus e servis vas chrystallinum: rapi eum Vedius jussit et muraenis objici, quas ingentes in piscina alebat. Evasit e manibus

[1] Vide n. 266, b.

puer et confugit ad Caesaris pedes, nihil aliud petiturus [1], quam ut aliter periret nec esca fieret piscium. Motus est Caesar novo genere crudelitatis; et illum quidem dimitti jussit, chrystallina omnia frangi complerique piscinam. Fuit Caesari sic castigandus homo: bene usus est viribus suis. Si calix tuus fractus est, viscera hominis distrahentur? (SEN.)

Integritas Gracchi.

896. C. Gracchus, cum ex Sardinia rediit, orationem ad populum habuit hujuscemodi: versatus sum, inquit, in provincia, quomodo usui vestro, non meae ambitioni conducere arbitrabar; nulla apud me fuit popina neque pueri eximia facie, nedum puellarum consuetudo inverecunda. Quin ita versatus sum, ut nemo jure possit dicere assem me muneri accepisse aut mea causa quempiam sumptum fecisse. Quas zonas argenti plenas Roma extuli, inanes ex provincia retuli. Alii amphoras, quas vino plenas tulerunt, argento refertas domum reportaverunt. (GELL.)

Hannibal cavillatur cum rege Antiocho.

897. Hannibalem Carthaginiensem ferunt apud regem Antiochum facete cavillatum esse. Ostendebat ei Antiochus in campo copias, quas bellum Romanis facturus [2] conscripserat; convertebatque exercitum aureis insignibus florentem. Inducebat etiam elephantos cum turribus et equitatum frenis, ephippiis et phaleris fulgentem.

898. Tunc rex ad Hannibalem gloriabundus, putasne, inquit, satis haec esse Romanis? At Poenus eludens ignaviam militum pretiose armatorum: satis plane, inquit, esse puto Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sunt. Rex de contentione exercitus quaesierat: respondit Hannibal de praeda. (GELL.)

Epistola familiaris Cic. Attico.

899. Epistolam quum a te avide exspectarem ad vesperum, ut soleo; ecce tibi nuntius pueros venisse Roma. Voco, quaero ecquid litterarum: negant. Quid ais, inquam, nihilne a Pom-

[1] Vide n. 354, b. [2] Vide n. 382.

ponio? Perterriti voce et vultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in via. Permoleste tuli. Nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat.

900. Nunc, siquid in ea epistola, quam aute diem decimum kalendas Maii dedisti, fuit historia dignum, scribe quamprimum, ne ignoremus; sin[1] nihil praeter jocationem, redde id ipsum. Scito Curionem adolescentem venisse ad nos salutatum. Valde ejus sermo de Publio cum tuis litteris congruebat. Peraeque ac tu narrabat incensam esse juventutem, neque ferre haec posse. Bene habemus nos, si in his spes est; opinor, aliud agamus.

901. Ego me do historiae; quamquam, licet me Saufejum putes esse, nihil me est inertius. Sed cognosce itinera nostra; ut statuas, ubi nos visurus sis.

In Phormianum ire volumus Parilibus, kal. maji de Phormiano proficiscemur, ut Antii simus ad diem quintum nonas maji. Ludi enim Antii futuri sunt a quarto ad prid. non. maji. Eos Tullia spectare vult. Inde cogito in Tusculanum; deinde Arpinum[2]; Romam ad kal. jun. Te aut in Phormiano aut Antii[3] aut in Tusculano cura ut videamus. Epistolam superiorem restitue nobis et appinge aliquid novi. (CIC.)

M. Tull. Cicero Tironi S. P. D.

902. Menander postridie ad me venit, quam exspectaram. Itaque habui noctem plenam timoris ac miseriae. Tuis litteris nihilo factus sum certior, quomodo te haberes; sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione litterisque omnibus careo, quas, antequam te videro, attingere non possum. Medico, mercedis quantum poscet, promitti jubeto. Id scripsi ad Mumium.

903. Audio te animo angi et medicum dicere ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas litteras humanitatemque, propter quam mihi es carissimus. Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis. Id quum tua, tum mea causa facias, a te peto. Acastum retine, quo commodius tibi ministretur. Etiam atque etiam vale. (CIC.)

---

[1] Vide n. 365. [2] Vide n. 278, b. [3] Vide n. 271, b.

Coërcenda ira.

904. Nihil tibi liceat, cum irasceris; quare? quia vis omnia licere. Si iram vincere non potes, illa te incipit vincere. Abscondatur, exitus illi non detur, quantum fieri potest, obruatur. Cum magna id molestia fiet; cupit enim exsilire et incendere oculos et mutare faciem; sed si eminere illi extra nos licuit, supra nos est.

905. Feratur, igitur, ne ferat, imo in contrarium omnia ejus indicia flectamus; vultus remittatur, vox lenior fiat, gradus lentior. In Socrate irae signum erat vocem submittere, loqui parcius; hinc a familiaribus coarguebatur, nec erat illi ingrata exprobratio latitantis irae. Quidni enim gauderet, quod iram suam amici intelligerent, nemo sentiret? (SEN.)

De piscium ingeniis.

906. Mira videntur, quae Ovidius prodidit de piscium ingeniis in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur: Scarum inclusum nassis non fronte erumpere nec viminibus caput inserere; sed aversum laxare fores caudae ictibus atque retrorsum erumpere. Quem si forte alius scarus luctantem videat, apprehensa mordicus cauda adjuvare ad erumpendum.

907. Lupum rete circumdatum arenas cauda arare in iisque tam diu latere, dum transeat rete. Muraenam maculas appetere, consciam lubrici tergi, tum multiplici flexu eas laxare, donec evadat. Polypum hamos appetere bracchiisque complecti, non morsu; nec prius dimittere, quam escam circum rosit, aut arundine extra aquam levatus est. Scit et mugil esse in esca hamum; aviditas tamen tanta est, ut cauda verberando [1] excutiat cibum.

908. Minus in providendo [2] lupus solertiae habet, sed magnum robur in poenitendo. Nam ut haesit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera, donec excidant insidiae. Muraenae amplius devorant quam hamum admoventque dentibus lineas et arrodunt. Anthiam tradunt infixam hamo invertere se, quoniam sit [3] in dorso cultellata ei spina, eaque lineam prae-

[1] Vide n. 383. [2] Vide n. 128, e. [3] Vide n. 358, c.

secare. Muraenas animam in cauda habere certum est, eaque icta celerrime exanimari; at capitis ictu difficulter. (PLIN.)

Mores Africae.

909. Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi incultique. Cibus erat eis caro ferina et pabulum, ut pecoribus. Hi neque lege neque imperio cujusquam regebantur, sed vagi, qua nox coëgerat, sedes habebant. Postquam in Hispania Hercules interiit, copiaeque ejus, amisso duce, dilapsae sunt, Medi et Persae; ex eo numero, navibus in Africam transvecti, proximos mari nostro locos occupavere. Sed Persae magis intra Oceanum habitaverunt. Hi alveos navium inversos pro tuguriis habuere, quum materia in agris nulla esset, nec ab Hispanis emendi copia fieret. (SALL.)

Nex Caesaris.

910. Caesarem immolantem haruspex monuit, caveret periculum, quod non ultra martias idus proferretur. Pridie eas idus avem curiae se inferentem[1] volucres persequutae[2] discerpserunt. Ea vero nocte ipse sibi visus per quietem cum Jove dextram jungere. Ob haec simul et ob infirmam valetudinem diu cunctatus est, an[3], quae apud senatum proposuerat agere, differret.

911. Tandem, Bruto hortante, ne jam dudum opperientes destitueret, quinta fere hora progressus est; libellumque insidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, libellis ceteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit. Dein pluribus hostiis caesis, cum litare non posset, introiit curiam, spreta religione, et haruspicem irrisit, quod sine ulla sua noxa idus martiae adessent; cui ille: adsunt, inquit, sed non praeterierunt.

912. Ergo assidentem conspirati specie officii circumsteterunt: illicoque Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus propius accessit; renuentique ab utroque humero togam apprehendit. Deinde clamantem: «ista quidem vis est», alter e Cascis aversum vulnerat paulum infra jugulum.

---

[1] Vide n. 306, a. [2] Vide n. 307. [3] Vide n. 335, a.

913. Caesar Cascae bracchium graphio trajecit; conatusque prosilire alio vulnere tardatus est. Utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit; simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo[1] honestius caderet. Atque ita tribus et viginti plagis confossus est, gemitu sine voce edito. Etsi tradiderunt quidam M. Bruto irruenti dixisse: «etiam tu, fili?» (SUET.)

Mores Attici.

914. Atticus mendacium neque dicebat neque pati poterat: itaque ejus comitas non sine severitate erat neque gravitas sine facilitate, ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererenter an amarent. Quidquid rogabatur, religiose promittebat; quod non liberalis[2], sed levis arbitrabatur polliceri, quod praestare non posset. Idem in nitendo, quod semel annuerat, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere.

915. Numquam suscepti negotii eum pertaesum est; suam enim existimationem in ea re agi putabat, qua nihil habebat carius: quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marii, Hortensii multorumque praeterea equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo judicari poterat non inertia, sed judicio fugisse reipublicae procurationem. (NEP.)

Parrhasius.

916. Parrhasius Ephesi natus multa pinxit. Primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris exprimens palmam adeptus est. Pinxit populum Atheniensem argumento ingenioso; sic enim vultus hominum et gestus expressit, ut eorum ingenium ostenderet varium, iracundum, inconstans et pariter exorabile, clemens, humile.

917. Picta quoque ab eo est Creusa nutrix cum infante, duoque pueri, in quibus spectatur aetatis simplicitas; item sacerdos, astante puero cum acerra. Sunt et duae picturae ejus nobilissimae, quos Hoplites vocant: alter in certamine

[1] Vide n. 351, c. [2] Vide n. 93.

ita decurrit, ut sudare videatur; alter arena decumbit, ut[1] anhelare sentiatur. Fecundus artifex Parrhasius, sed quo nemo insolentius sit usus gloria artis. Nam et cognomina usurpavit, Abrodiaetum se appellans et principem artis. (PLIN.)

Res in Hispania ab Romanis gestae.

918. Hispaniae numquam animus fuit adversus Romanos universae consurgere; numquam conferre vires suas libuit aut libertatem tueri suam publice. Alioquin ita mari Pyrenaeoque vallata est, ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit. Sed ante a Romanis obsessa est, quam vires suas cognosceret; et sola omnium provinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. In hac prope ducentos per annos dimicatum est, non continue, sed prout causae lacessierant.

919. Prima per Pyrenaeum jugum signa Publius et Cnejus Scipiones intulerunt proeliisque ingentibus Hasdrubalem ceciderunt, raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa sua victoria oppressi Punica fraude cecidissent. Igitur Scipio non contentus Poenos expulisse stipendiariam provinciam nobis Hispaniam fecit; omnia citra ultraque Iberum subjecit imperio; primusque Romanorum ducum victor ad Gades pervenit.

920. Itaque per partes jam huc, jam illuc missi duces sunt, qui ferocissimas gentes cruentis certaminibus servire docuerunt. Cato Celtiberos, id est robur Hispaniae, aliquot proeliis fregit; Gracchus eos multarum eversione urbium multavit; Metellus, cui ex Macedonia cognomen, Contrebiam memorabili cepit exemplo. Decimus Brutus, aliquanto latius grassatus, Celticos domuit et Lusitanos; peragratoque Oceani littore, non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem deprehendit.

921. Ceterum Lusitanos Viriathus erexit, vir calliditatis acerrimae; qui ex venatore latro, ex latrone imperator factus erat. Non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia ultra Iberum et Tagum populatus[2], Claudium paene ad internecionem exercitus cecidit. (FLOR.)

---

[1] Vide n. 386. [2] Vide n. 381.

Caesar Augustus.

922. Populus Romanus, Caesare et Pompejo trucidatis, rediisse in pristinam libertatem videbatur, et vero redierat, nisi collega quondam, post aemulus Caesarianae potentiae, superfuisset, Antonius. Gratulandum tamen est in tanta perturbatione, quod potissime ad Octavium summa rerum rediit, qui sapientia atque solertia perculsum undique ordinavit imperii corpus.

923. M. Antonio P. Dolabella consulibus, imperium Romanum jam ad Caesares transferente[1] fortuna, mota civitas fuit; quodque in annua coeli conversione fieri solet, ut mota sidera suos flexus tempestate significent; sic cum Romanae dominationis, id est humani generis conversione, penitus intremuit imperii corpus et terrestribus ac navalibus bellis agitatum est. (FLOR.)

Colossus Rhodi.

924. Moles excogitatas videmus statuarum, quas colosseas vocant. Ante omnes in admiratione fuit colossus Rhodi, quam fecerat Chares Lindius, septuaginta cubitorum. Constitutus est in aditu portus, divaricatis cruribus, ut possent naves sub eo velificare. Hoc simulacrum post quinquaginta sex annos terrae motu prostratum, jacens quoque miraculo est.

925. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti quam pleraeque statuae. Defractis membris hiant vasti specus, intra quos spectantur magnae molis saxa, quorum pondere statuam stabiliverat architectus. Duodecim annis tradunt effectam trecentis talentis. (PLIN.)

Coronae.

926. Corona obsidionalis est, quae datur imperatori, qui obsessos liberavit. Ea fit ex gramine viridi, quod fere decerpunt[2] ex loco, ubi fuerant inclusi milites. Herbam autem victoriae signum fuisse apud antiquos docuimus alio loco. P. Decio datae sunt duae; una ab exercitu universo, altera ab iis, qui fuerunt in praesidio obsessi.

---

[1] Vide n. 375, b. [2] Vide n. 298.

927. L. autem Licinius Dentatus, qui fertur centies et vicies pro republica depugnasse, coronis viginti sex donatus est; in quibus aureae octo, civicae quatuordecim, murales tres, una obsidionalis. Inter obsidionalem et civicam hoc interest, quod altera singularis salutis, altera universae signum fuit. (FEST.)

Monumentum Mausoli.

928. Monumentum Mausoli, qui fuit Cariae regulus, est inter septem miracula. Patet ab austro et septentrione sexagenos ternos[1] pedes, brevius a fronte; attolitur in altitudinem viginti quinque cubitis; cingiturque columnis triginta sex.

929. Ab oriente caelavit Scopas, a septentrione Bryaxis, a meridie Timotheus, ab occasu Leochares; priusque quam peragerent, obiit Artemisia, quae mariti memoriae id opus exstrui jusserat. Non tamen recesserunt ab opere, id gloriae ipsorum artisque monumentum judicantes. In summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis: hac adjecta, centum quadraginta pedum altitudine totum opus inclusit. (PLIN.)

Senectus non avocat a rebus gerendis.

930. A rebus gerendis senectus abstrahit? quibus? an iis, quae geruntur juventae viribus? nullaene igitur res sunt seniles, quae, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus, nihil L. Paulus; ceteri senes Fabricii, Curii, Coruncanii, quum rempublicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant?

931. Ad Claudii senectutem accedebat, ut caecus esset; et tamen is, quum sententia senatus inclinaret ad pacem et foedus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius: «Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant, sese flexere?» Atque haec ille egit septem et decem annis post alterum consulatum, quum inter duos consulatus anni decem interfluxissent, censorque ante consulatum superiorem fuisset. Ex quo intelligitur Pyrrhi bello grandem sane fuisse.

---

[1] Vide n. 44 et 228, b.

932. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant; similesque sunt iis, qui gubernatorem in navigando [1] agere nihil dicant, quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant; ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus. Non facit ea, quae juvenes; at vero multo majora et meliora facit. Non viribus aut celeritate corporum res magnae geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia; quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. (Cic.)

Antonius vomens.

933. Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus; loquamur potius de nequissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse fuerit in conspectu populi Romani vomere postridie. O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! Si inter coenam, in ipsis tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit. (Cic.)

Propositio contra Verrem.

934. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum et insaniam; ut Siculi, latrocinium; ego, quo nomine appellem, nescio: rem vobis proponam; vos eam suo, non nominis pondere penditote.

935. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam vetere provincia, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam; quidquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum aereum, marmoreum, eburneum; nego ullam picturam neque in tabula neque in texili fuisse, quin [2] conquisierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit.

---

[1] Vide n. 128, c. [2] Vide n. 304.

936. Magnum videor dicere; attendite etiam, quemadmodum dicam. Non enim verbi neque criminis augendi causa[1] complector omnia: quum dico nihil istum ejusmodi rerum in tota provincia reliquisse, Latine me scitote, non accusatorie loqui. Etiam planius; nihil in aedibus cujusquam, ne in oppidis quidem; nihil in locis communibus, ne in fanis quidem; nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum; denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati neque publici neque profani neque sacri tota in Sicilia reliquisse. (Cic.)

Verres spoliat Hejum.

937. Erat apud Hejum sacrarium magna cum dignitate in aedibus, a majoribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor summo artificio, quae non modo Verrem, hominem ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent. Unum erat Cupidinis[2] marmoreum, Praxitelis[2]; alterum Herculis egregie factum ex aere, quod dicebatur esse Myronis.

938. Erant praeterea duo signa aerea, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu; quae, manibus sublatis, sacra quaedam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus sustinebant. Messanam ut quisque nostrum venerat, haec visere solebat; nam omnibus haec ad visendum patebant quotidie.

939. Haec omnia signa ab Hejo de sacrario Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, praeter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor; eam iste habere domi suae noluit. (Cic.)

Pamphilus suos scyphos servat.

940. Memini Pamphilum Lilybetanum mihi narrare: quum Verres ab sese hydriam Boëthii manu factam praeclaro opere per potestatem abstulisset, se sane tristem domum revertisse; quod vas sibi a majoribus relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, a se esset ablatum. Quum sederem, inquit, domi

---

[1] Vide n. 355. [2] Vide n. 222.

tristis, accurrit venerius; jubet me scyphos sigillatos ad praetorem statim afferre. Permotus sum, inquit; binos habebam; jubeo promi utrosque, nequid plus mali nasceretur, et mecum ad praetoris domum ferri.

941. Eo cum veni, praetor quiescebat; fratres Cibyratae inambulabant; qui ubi me viderunt: ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi? Ostendo tristis; laudant; incipio queri me nihil habiturum, quod alicujus esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum illi, ubi me conturbatum vident, quid vis nobis dare, ut isti abs te ne auferantur? Ne multa[1], mille sestertios dixi me daturum. Vocat interea praetor, scyphos poscit: tunc illi coeperunt praetori dicere putasse se, id quod audissent, alicujus pretii scyphos esse Pamphili, luteum negotium esse; non dignum, quod in suo argento Verres haberet. Ait ille idem sibi videri. Ita Pamphilus scyphos optimos aufert. (Cic.)

Verres annulum eripit Valentio.

942. Quam multis Verrem putatis hominibus honestis annulos aureos de digitis abstulisse? Numquam dubitavit, quotiescumque alicujus aut gemma aut annulo delectatus est. Incredibilem rem dicam, sed tam claram, ut ipsum negaturum non arbitrer.

943. Quum Valentio, ejus interpreti, epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula: placuit ei; quaesivit, unde esset epistola; respondit Agrigento. Iste litteras, ad quos solebat, misit, ut is annulus primo quoque tempore afferretur. Ita litteris istius patrifamilias, L. Titio cuidam, civi Romano, annulus de digito detractus est. (Cic.)

Veteres de causis mundi.

944. Cur Deus cessavit per eam aeternitatem, quae fuit, antequam mundum condidit? Laboremne fugiebat? at iste neque attingit Deum neque erat ullus, cum omnes naturae, coelum, ignes, terrae, maria numini divino pareant. Quid autem erat, quod concupisceret Deus mundum signis et lu-

[1] Vide n. 299, b.

minibus tamquam aedilis ornare? Si, ut Deus ipse melius habitaret; ante videlicet tempore infinito in tenebris, tamquam in gurgustio, habitaverat. Quodsi varietate Deum delectari putamus; non ea tam diu carere potuisset.

945. At haec, ut fere dicitis, hominum causa a Deo constituta sunt. Quorum? sapientiumne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio. An stultorum? at primum causa non fuit, cur de improbis bene mereretur; deinde quid est assequutus, quum omnes stulti sint sine dubio miserrimi; miserius enim stultitia quid possumus dicere? (CIC.)

Mors Marii.

946. Profecto ad bellum Mithridaticum Sulla, in Italiam redit Marius efferatus magis calamitate quam domitus. Cum exercitu Romam ingressus, eam caedibus et rapinis vastavit. Omnes adversae factionis nobiles variis suppliciorum generibus affecit. Quinque dies[1] totidemque noctes ista scelerum omnium duravit licentia. Quo tempore admiranda sane fuit populi Romani abstinentia; nam, quum Marius objecisset domos occisorum diripiendas, nemo fuit, qui ullam ex his rem attingeret; quae populi misericordia erat tacita quaedam Marii vituperatio.

947. Tandem Marius senio et laboribus confectus in morbum incidit et ingenti omnium laetitia vitam finivit. Cujus viri si expendantur cum virtutibus vitia, haud facile dictu erit[2], utrum in bello hostibus an in otio civibus fuerit infestior; quam enim rempublicam contra hostes virtute servaverat, eam togatus ambitione evertit. (APUD LHOM.)

Jus fetiale.

948. Ancus, priusquam Latinis bellum indiceret, legatum misit, qui res repeteret, eumque morem posteri retinuerunt. Id hoc modo fiebat: legatus, ubi ad fines eorum venit, a quibus res repetuntur, capite velato ait: «audi, Jupiter; audite, fines hujus populi. Ego sum nuncius populi Romani; verbis meis fides sit». Deinde peragit postulata. Si non deduntur

[1] Vide n. 283, b. [2] Vide n. 136.

res, quas exposcit, hastam in fines hostium emittit bellumque ita indicit. Legatus, qui ea de re mittitur, fetialis; ritusque belli indicendi jus fetiale appellatur. (APUD LHOM.)

Brutus osculans terram.

949. Junius Brutus, sorore Tarquinii natus, quum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob divitias et prudentiam fuerat ab avunculo occisus; stultitiam finxit, unde Brutus dictus est. Profectus Delphos cum Tarquinii filiis, quos pater ad Apollinem muneribus honorandum miserat, baculo sambuceo aurum inclusum deo donum tulit.

950. Peractis deinde mandatis patris, juvenes Apollinem consuluerunt, quinam ex ipsis Romae regnaturus esset. Responsum est eum Romae summam potestatem habiturum, qui primus matrem oscularetur. Tunc Brutus, perinde atque casu prolapsus esset, terram osculatus est, quod ea communis sit mater omnium mortalium. (APUD LHOM.)

Marius in carcere.

951. Quum Sulla consul contra Mithridatem, regem Ponti, missus fuisset; ei Marius illud imperium eripuit fecitque, ut loco Sullae imperator crearetur; qua re commotus Sulla Romam venit Mariumque expulit. Marius in palude aliquamdiu delituit; ubi paulo post deprehensus ac nudus coenoque oblitus raptus est in custodiam, injecto in collum laqueo.

952. Missus etiam est ad eum occidendum servus publicus, natione Cimber, quem Marius vultus majestate deterruit. Quum enim hominem ad se stricto gladio venientem vidisset; «Tune, inquit, Marium audebis occidere?» Ille attonitus, abjecto ferro, fugit. Marius postea ab iis etiam, qui eum occidere voluerant, e carcere emissus est. (APUD LHOM.)

Demonstratur exsistentia Dei.

953. Siquid est in rerum natura, quod hominis ratio et vis efficere non possit, est certe id, quod illud effecit, homine melius. Atqui res coelestes ab homine confici non possunt;

est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam Deum?

954. An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut muribus[1] aedificatam[2] putes; tantum vero ornatum mundi, tantam varietatem et pulchritudinem rerum coelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare? (CIC.)

Vanitas deorum.

955. A physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta ratio est ad commentitios et fictos deos; quae res genuit falsas opiniones et superstitiones paene aniles. Et formae enim nobis deorum et aetates et vestitus ornatusque noti sunt; genera praeterea, conjugia, cognationes omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanae. Accipimus eorum cupiditates, aegritudines, iracundias; nec vero, ut fabulae ferunt, dii bellis proeliisque caruerunt; ut cum Titanis et cum Gigantibus sua bella gesserunt. Haec et dicuntur et creduntur stultissime et plena sunt futilitatis. (CIC.)

Iter gruum.

956. Grues, quum calidiora loca petentes maria transmittunt, trianguli efficiunt formam: ejus autem summo angulo aër ab iis adversus pellitur. Deinde sensim ab utroque latere, tamquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, tamquam a puppi, ventis adjuvatur; haeque in tergo praevolantium[3] colla et capita reponunt; quod quum dux facere non possit, quia non habet, ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit ex iis, quae acquierunt: eaque vicissitudo in omni cursu conservatur. (CIC.)

Artificium vocis.

957. Ad usum orationis incredibile est, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus arteria usque

[1] Vide n. 227. [2] Vide n. 311, a. [3] Vide n. 306.

ad os intimum pertinet, per quam vox funditur. Deinde in ore sita lingua est finita dentibus: ea vocem immoderate profusam fingit et terminat; quae sonos vocis distinctos et pressos efficit, quum et ad dentes et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus. (CIC.)

Utilitas manuum.

958. Quam aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit. Digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est admotione digitorum.

959. Atque haec oblectationis, illa necessitatis[1]: cultus dico agrorum exstructionesque tectorum, tegumenta corporum, vel texta vêl suta, omnemque fabricam, vel aeris vel ferri. Ex quo intelligitur, adhibitis opificum manibus, omnia nos consequutos[2], ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus; urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. (CIC.)

Diagoras atheus.

960. Diagoras atheus ille qui dicitur, quum Samothraciam venisset, amicus eum quidam alloquutus est: tu, qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint? Ita fit, inquit; illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt in marique perierunt.

961. Idemque, cum ei naviganti vectores adversa tempestate perterriti dicerent non injuria sibi illud accidere, qui illum in navem recepissent, ostendit iis in eodem cursu alias naves laborantes; quaesivitque, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent. (CIC.)

---

[1] Vide n. 294, a. [2] Vide n. 311.

Veteres de animo.

962. Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem aut flabile aut igneum; his enim in naturis nihil est, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod praeterita teneat et futura provideat et complecti possit praesentia. Nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint animi nisi a Deo.

963. Quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, coeleste ac divinum est; ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno. (CIC.)

Doctrina Stoicorum.

964. Fuit quidam summo ingenio vir, Zeno, cujus inventorum aemuli Stoici nominantur. Hujus sententiae sunt et praecepta ejusmodi: sapientem gratia numquam moveri; numquam cujusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse nisi stultum et levem; viri non esse neque exorari neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, reges; nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt. Omnia peccata esse paria; omne delictum scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit. Sapientem nihil opinari, nullius rei poenitere, nulla in re falli, sententiam mutare numquam.

965. Haec homo ingeniosissimus M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus, arripuit; neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. Nostri autem philosophi (fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia quaesisse adjumenta doctrinae) nostri, inquam, philosophi a Platone et Aristotele,

moderati homines et temperati, ajunt apud sapientem valere aliquando gratiam; viri boni esse misereri, distincta genera esse delictorum et dispares poenas; esse apud hominem constantem ignoscendi locum; ipsum sapientem saepe aliquid opinari, quod nesciat; irasci nonnumquam; exorari eundem et placari; quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare.

966. Mihi videntur vestri praeceptores [1] fines officiorum paulo longius, quam natura vellet, protulisse, ut, cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consisteremus. Nihil ignoveris; imo aliquid, non omnia. Nihil gratiae causa feceris; imo resistito gratiae, quum officium et fides postulabit. In sententia permaneto; vero, nisi sententiam sententia alia vicerit melior. (Cic.)

Visum nocturnum.

967. Duo Arcades iter una facientes Megaram venerunt, quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam divertit. Is autem, qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem suum orantem, ut sibi cauponis insidiis circumvento subveniret: posse [2] enim celeri accursu se periculo subtrahi. Quo viso excitatus prosiluit tabernamque, in qua is diversabatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato humanissimum propositum tamquam supervacuum damnavit, idque visum pro nihilo ducens lectum ac somnum repetiit.

968. Tum idem ei saucius oblatus obsecravit, ut, qui [3] auxilium vitae suae ferre neglexisset, neci ultionem saltem non negaret. Corpus enim suum a caupone trucidatum, tum maxime plaustro ad portam ferri [2] stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus compulsus protinus ad portam concurrit et plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit cauponemque ad capitale supplicium perduxit. (Val. Max.)

---

[1] Vide n. 317. [2] Vide n. 314, b. [3] Vide n. 360.

Cicero pascitur litteris. Cicero Attico s.

969. Puteolis magnus est rumor Ptolemaeum esse in regno. Siquid habes certius, velim scire. Ego hic pascor bibliotheca Fausti; fortasse tu putabas ostreis Puteolanis. Ne ista quidem desunt.

970. Sed, mehercule, a ceteris oblectationibus ut deseror propter rempublicam, sic litteris sustentor et recreor; maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere quam in istorum sella curuli, tecumque apud te ambulare quam cum eo, quocum video esse ambulandum. Pompejus in Cumanum Parilibus venit: misit ad me statim qui salutem nuntiaret. Ad eum postridie mane vadebam, quum haec scripsi. (Cic.)

Cicero de libris suis. Cicero Attico s.

971. Perbelle feceris, si ad nos veneris. Offendes designationem Tynnarionis mirificam librorum meorum. Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus et ad cetera administris, iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua[1] indices fiant, quos vos Graeci syllabus appellatis. Sed haec, si tibi erit commodum.

972. Ipse vero utique fac venias, si potes in his locis adhaerescere et Piliam adducere. Ita enim aequum est et cupit Tullia. Medius fidius, nae tu emisti locum praeclarum; gladiatores audio pugnare mirifice. Tu fac venias et de librariis, si me amas, cura diligenter. (Cic.)

Rumores. Cicero Attico s.

973. Hic rumor est Marcum periisse naufragio: Asinium delatum vivum in manus militum; quinquaginta naves delatas Uticam reflatu hoc. Pompejum non comparere nec in Balearibus omnino fuisse, ut Paciecus affirmat. Sed auctor

---

[1] Vide n. 352.

nullius rei quisquam. Habes, quae, dum tu abes, loquuti sunt. Ludi interea Praeneste. Ibi Hirtius et isti omnes. Et quidem ludi dies octo. Quae coenae? quae deliciae? (CIC.)

De scriptis suis. Cicero Attico s.

974. Commodum discesserat librarius, cui dederam litteras ad te, quum venit tabellarius cum tuis litteris pridie datis, in quibus illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat, ne tristis sis, quodque tu sine periculo esse scribis. Ligarianam nostram orationem, ut video, praeclare auctoritas tua commendavit. Scripsit enim ad me Balbus mirifice se probare ob eamque causam ad Caesarem eam se oratiunculam misisse. Dialogos absolvi nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra.

975. Sunt etiam De oratore libri tres mihi vehementer probati. In iis eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit: Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, Cotta, Sulpicius. Puero me[1], hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. Quae autem his temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον* morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Sed tu dandosne[2] putes hos libros Varroni, etiam atque etiam videbis. Mihi quaedam occurrunt; sed ea coram. (CIC.)

Aliqua curiosa. Cicero Attico s.

976. Delectarunt me epistolae tuae, quas accepi uno tempore duas ante diem secundum kalendas. Perge reliqua. Gestio scire ista omnia. Etiam illud cujusmodi sit, velim perspicias: potes a Demetrio. Dixit mihi Pompejus Crassum a se in Albano exspectari ante diem quartum kalendas.

977. Nos hic voramus litteras cum homine mirifico Dionysio, qui te omnesque vos salutat. Quid a te fiat, ad me velim scribas; non enim tam rebus novis quam tuis litteris

[1] Vide n. 376, b. [2] Vide n. 335.

delector. Ego mecum praeter Dionysium eduxi neminem. Tu Luccejo librum dabis. Demetrii tibi mittam statim ac sit, qui a te mihi epistolam referat. (Cic.)

Athei.

978. Diagoras, qui atheus dictus est, et Theodorus aperte deorum naturam sustulerunt. Atque Abderites sophista vel maximus, quum in principio libri sic posuisset: »De diis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere», Atheniensium jussu urbe atque agro est exterminatus; librique ejus in concione combusti.

979. Ex quo equidem existimo tardiores ad hanc sententiam profitendam multos esse factos, cum ne dubitatio quidem poenam effugeret. Quid de sacrilegis, quid de impiis perjurisque dicemus? Si Lucius putasset esse deos, tam perjurus fuisset? (Cic.)

Fabula Menenii.

980. Menenius Agrippa concordiam inter patres plebemque restituit; nam cum plebs a patribus secessisset, quod tributum et militiam non toleraret, Agrippa, vir facundus, ad plebem missus est, qui intromissus in castra nihil aliud quam hoc narrasse fertur.

981. Olim humani artus, quum ventrem otiosum cernerent, ab eo discordarunt conspiraruntque, ne manus ad os cibum ferrent, neque os acciperet datum, nec dentes conficerent. At dum ventrem domare volunt, totum corpus extabuit: inde apparuit ventris haud segne ministerium esse, eumque acceptos cibos per omnia membra disserere. Sic senatus et populus, quasi unum corpus, discordia pereunt, concordia valent.

(Apud Liiom.)

Luxus Luculli.

982. L. Lucullus, postquam de Mithridate triumphavit, abjecta rerum cura, coepit delicate vivere otioque et luxu diffluere. Magnifice et immenso sumptu villas aedificavit atque ad earum usum mare ipsum vexavit; nam in quibus-

dam locis moles mari injecit; in aliis vero, suffossis montibus, mare in terras induxit; unde eum haud infacete Pompejus vocavit Xerxem togatum: Xerxes enim, Persarum rex, quum in Hellesponto pontem fecisset, et ille fluctibus esset disjectus, jussit mari trecentos flagellorum ictus infligi [1].

983. Habebat Lucullus villam prospectu et ambulatione pulcherrimam; quo cum venisset Pompejus, id unum reprehendit, quod ea habitatio esset quidem aestate peramoena, sed hieme minus commoda; cui Lucullus: «Putasne, inquit, me minus sapere quam hirundines, quae, adveniente hieme, sedem commutant?»

984. Villarum magnificentiae respondebat epularum sumptus: quum aliquando modica ei, utpote soli, coena esset posita, coquum graviter objurgavit eique dicenti se non debuisse lautum parare convivium, quod nemo esset ad coenam invitatus: quid ais, inquit Lucullus, an nesciebas Lucium coenaturum apud Lucullum? (APUD LHOM.)

Cincinnatus ex aratore dictator.

985. Ubi Romae nuntiatum est Minucium cum exercitu circumsessum esse, tantus pavor ac trepidatio fuit, quanta si urbem ipsam, non castra hostes obsiderent; quum autem in altero consule parum esse praesidii videretur, dictatorem dici placuit, qui rem afflictam restitueret. Quinctius Cincinnatus, omnium consensu, dictator est dictus.

986. Colebat is trans Tiberim agrum quatuor jugerum; quo cum legati venissent, eum invenerunt arantem. Salute data invicem redditaque, Quinctius togam propere proferre uxorem Raciliam jussit, ut senatus mandata togatus audiret. Postquam, absterso pulvere ac sudore, toga indutus processit Quinctius, eum legati dictatorem consalutant et, quantus terror in exercitu sit [2], exponunt.

987. Quinctius igitur Romam venit et, antecedentibus lictoribus, domum deductus est. Postero die profectus, caesis

[1] Vide n. 313. [2] Vide n. 329.

hostibus, exercitum Romanum liberavit urbemque triumphans ingressus est. Ducti ante currum hostium duces, militaria signa praelata, secutus exercitus est praeda onustus, epulaeque instauratae ante omnium domos. Quinctius sexto decimo die dictatura, quam in sex menses acceperat, se abdicavit, et ad boves rediit triumphalis agricola. (APUD LHOM.)

Perfidia ludi magistri.

988. Quum Camillus urbem Falerios[1] obsideret, ludi magister plurimos inde pueros velut ambulandi gratia eductos in castra Romanorum perduxit; quibus Camillo traditis, non erat dubium, quin Falisci, deposito bello, sese Romanis dedituri essent. Sed Camillus perfidiam proditoris detestatus[2]: «non ad similem tui, inquit, venisti; sunt belli sicut pacis jura; arma habemus non adversus eam aetatem, cui etiam, captis urbibus, parcitur, sed adversus armatos, qui castra Romana oppugnaverunt.»

989. Denudari deinde ludi magistrum jussit eumque, manibus post tergum alligatis, in urbem reducendum pueris tradidit; ac virgas iis dedit, quibus euntem verberarent. Statim Falisci, beneficio magis quam armis victi, portas Romanis aperuerunt. (APUD LHOM.)

Humanitas Pyrrhi.

990. Pyrrhi humanitatem experti sunt Tarentini; qui, cum sero intellexissent se pro socio dominum accepisse, sortem suam liberius querebantur, maxime ubi vino incaluerant. Arcessiti ad regem nonnulli, qui de eo in convivio proterve loquuti fuerant, culpae confessione periculum discusserunt.

991. Nam quum rex percunctatus fuisset, an ea, quae ad aures suas pervenerant, dixissent: «et haec diximus, inquiunt, et nisi vinum defecisset, plura dicturi fuimus[3].» Pyrrhus, qui malebat vini quam hominum eam culpam videri, subridens eos dimisit. (APUD LHOM.)

---

[1] Vide n. 1. [2] Vide n. 381, a. [3] Vide n. 366.

Scipio virginem de captivis restituit.

992. Profectus in Hispaniam Scipio Carthaginem novam expugnavit; quo aggestae erant omnes Hispaniae opes, quibus potitus est. Inter captivos adducta ad eum est eximiae formae virgo; quam ut comperit illustri loco inter Celtiberos natam desponsamque ejus gentis principi, arcessitis parentibus et sponso, eam reddidit.

993. Parentes virginis, qui ad eam redimendam magnam auri vim attulerant, Scipionem orabant, ut id ab se[1] donum reciperet. Scipio aurum poni ante pedes jussit, vocatoque ad se virginis sponso: «super dotem, inquit, quam accepturus a socero es, haec tibi a me dotalia dona accedent», aurumque tollere ac sibi habere jussit. Ille domum reversus ad referendam Scipioni gratiam Celtiberos Romanis conciliavit.

(APUD LHOM.)

Graeculus epigramma Augusto offert.

994. Solebat quidam Graeculus descendenti[2] e Palatio Augusto honorificum epigramma porrigere. Id quum frustra saepe fecisset, ne rursus idem faceret, Augustus sua manu in charta breve exaravit epigramma et Graeculo venienti ad se misit.

995. Ille legendo laudare coepit mirarique tam voce quam vultu gestuque: dein quum accessisset ad sellam, qua Augustus vehebatur, demissa in crumenam manu, protulit paucos denarios, quos principi daret; dixitque se plus daturum fuisse, si plus habuisset: secuto[3] omnium risu, Graeculum Augustus vocavit eique grandem pecuniam numerari jussit.

(APUD LHOM.)

Gracchorum educatio.

996. Gracchorum adolescentia magna omnium spe floruit; quippe ad egregiam indolem accedebat optima educatio. Ex matre Cornelia non solum bonos mores, sed etiam sermonis elegantiam hauserunt.

---

[1] Vide n. 76, a. [2] Vide n. 375. [3] Vide n. 381, b.

997. Maximum matronis ornamentum esse liberos bene institutos merito putabat sapientissima femina; nam, quum Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua ostentaret ei muliebriter, Cornelia eam tam diu sermone traxit, quousque e schola redirent pueri; quos reversos hospitae exhibens: «en haec, inquit, mea ornamenta.» (APUD LHOM.)

Prodigia.

998. Romae et circa urbem multa prodigia facta aut certe nuntiata et temere credita sunt: in quibus infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse; et in foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte ascendisse atque inde tumultu habitatorum territum sese in forum dejecisse.

999. Ob haec prodigia urbs lustrata est hostiaeque diis caesae et donum ex auri pondo quadraginta Lanuvium ad Junonis [1] portatum est. Romae quoque supplicatio ad aedem Herculis nominatim, deinde circa omnia pulvinaria indicta est; et C. Attilius praetor vota suscipere jussus, si in decem annos stetisset respublica eodem statu. (LIV.)

Mores Germanorum.

1000. Germani Druidas non habent, qui rebus divinis praesint. Deorum numero eos solum ducunt, quos cernunt et quorum opibus aperte juvantur: Solem et Vulcanum et Lunam. Reliquos ne fama quidem acceperunt. Vitam in venationibus atque in studiis rei militaris agunt. Ab parvulis labori assuescunt. Pellibus pro tegumento utuntur, magna corporis parte nuda. Agriculturae non student; majorque pars victus eorum in lacte et caseo et carne consistit.

1001. Civitatibus maxima laus est, quam latissimas circum se, vastatis finibus, solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant expulsos agris finitimos cedere neque quemquam

[1] Vide n. 163, a.

prope se audere consistere. In pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum inter suos jus dicunt.

1002. Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cujusvis civitatis fiunt; atque ea juventutis exercendae ac desidiae minuendae causa fieri praedicant. Hospites violare fas non putant; qui quaque de causa ad eos pervenerunt, ab injuria prohibent, iisque omnium domus patent, victusque communicatur. (CAES.)

Pugna pro tumulo.

1003. Erat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra Petrejus atque Afranius habebant, planities circiter passuum trecentorum, atque in hoc fere medio spatio tumulus erat paulo editior; quem si occupasset Caesar et communisset, ab oppido et ponte et commeatu omni se interclusurum adversarios confidebat.

1004. Hoc sperans, legiones tres ex castris educit; acieque in locis idoneis instructa, unius legionis antesignanos praecurrere atque occupare eum tumulum jubet. Qua re cognita, quae in statione erant Afranii cohortes, breviore itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Contenditur proelio et, quod prius Afraniani in tumulum venerant, nostri terga vertere seque ad signa legionum recipere coguntur. (CAES.)

Vindemia.

1005. In vinetis uva quum erit matura, vindemiam ita fieri oportet, ut videas, a quo genere uvarum et a quo loco vineti incipias legere: nam et praecox et miscella multo ante coquitur, quo prior legenda, et quae pars[1] arbusti ac vineae magis aprica est, prius debet descendere de vite.

1006. In vindemia uva legitur, alia ad bibendum, alia ad edendum. Itaque altera defertur in forum vinarium, unde in dolium veniat; altera in ollulas abditur. Quae calcatae uvae erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prelum, ut, siquid reliqui habeant musti, exprimantur in eundem lacum.

[1] Vide n. 18, b.

1007. Quum desiit sub prelo fluere, quidam circumcidunt extrema et rursus premunt; quod, cum expressum est, circumcisitium appellant ac seorsum servant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur: ea vocatur lora, quod lota acina; ac pro vino operariis datur hieme. (VARRO.)

Canis villaticus.

1008. Canem imprimis mercari tuerique debet agricola, quod et villam et fructus familiamque et pecora custodit. Ejus autem parandi triplex ratio est: namque unum genus adversus hominum insidias eligitur, et id villam custodit; alterum propellendis feris[1], et id observat domi stabulum, foris pecora pascentia: tertium venandi gratia comparatur, idque agricolam avocat ab opere suo, nedum juvet.

1009. De villatico igitur et pastorali dicendum est: villae custos eligendus est amplissimo corpore vastoque latratu, ut prius auditu maleficum, deinde etiam conspectu terreat. Sit autem coloris unius; isque magis eligatur albus in pastorali, niger in villatico. Pastor album probat, ne sub crepusculum pro lupo canem feriat. Villaticus, qui hominum maleficiis opponitur, sive luce clara fur advenerit, terribilior niger conspicitur; sive noctu, tectus tenebris tutiorem accessum habet ad insidiandum. Sit magno capite, flaccis auribus, radiantibus oculis, hirtis cruribus amplissimisque vestigiorum articulis. Mores neque mitissimi neque truces; quod mites furi quoque adulantur, truces etiam domesticos invadunt. (COLUM.)

Qualis debeat esse villicus.

1010. Praemoneo, ne villicum ex eo genere servorum, qui corpore placuerunt, instituamus; ne ex eo quidem ordine, qui urbanas artes exercuerunt. Socors genus id mancipiorum, popinae consuetum, numquam non easdem ineptias somniat; quas quum in agriculturam transtulit, perdit rem domini. Eli-

[1] Vide n. 355, c.

gendus est rusticis operibus ab infante duratus et inspectus experimentis, qui transcenderit aetatem primae juventae necdum senectutis attigerit; ne juventus auctoritatem detrahat ad imperium, quum majores graventur parere adolescenti; ac ne senectus laborioso succumbat operi. Mediae igitur sit aetatis, firmi roboris et rusticae peritus rei.

1011. Praecipiendum villico est, ne convictum cum domestico multoque minus cum extero habeat. Poterit tamen eum, quem fortem in operibus administrandis cognoverit, honoris causa mensae suae adhibere die festo. Sacrificia nisi ex praecepto domini ne fecerit. Haruspices sagasque, quae rudes animos ad impensas, dein ad flagitia compellunt, ne admiserit; neque urbem neque ullas nundinas noverit, nisi emendae causa aut vendendae rei. Villicus enim, quod ait Cato, ambulator esse non debet nec egredi terminos, nisi ut addiscat aliquam culturam in vicino, unde remeare possit. Semitas in agro fieri ne patiatur neve hospitem nisi familiarem domini receperit. (COLUM.)

Ad L. Valerium.

1012. Cur enim tibi hoc non gratificer nescio; praesertim quum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti. Lentulo nostro egi per litteras tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim desinas jam nostris litteris uti et nos aliquando revisas et ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare.

1013. Quamquam qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas; partim contumeliosum, quod male respondeas. Sed jam cupio coram tecum jocari. Quare fac ut quam primum venias neque in Apuliam tuam accedas, ut possimus salvum venisse gaudere. Nam illo si veneris tamquam Ulisses, cognosces eorum neminem. (CIC.)

Ad M. Caelium.

1014. Mirifice sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur. Mirum me desiderium tenet urbis, incredibile meorum atque in primis tui, satietas autem provinciae; vel quia videmur

eam famam consequuti, ut non tam accessio quaerenda quam fortuna metuenda sit; vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris, qui majora onera in republica sustinere et possim et soleam; vel quia belli magni timor impendet, quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedamus.

1015. De pantheris per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter; sed mira paucitas est, et eas, quae sunt, valde ajunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia nisi sibi[1] fiat: itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere.

1016. Mihi, mehercule, magnae curae est aedilitas tua. Ipse dies me admonebat. Scripsi enim haec ipsis Megalensibus. Tu velim ad me de omni reipublicae statu quam diligentissime perscribas. Ea enim certissima putabo, quae ex te cognoro. (CIC.)

Ranae.

1017. Docet Democritus, lingua ranae viventis si ponatur supra cordis palpitationem homini dormienti, quaecumque interrogatus fuerit, vera responsurum. Quae si vera sunt, multo utiliores vitae existimentur[2] ranae quam leges. Item jecur ranae geminum esse objicique formicis oportere; eamque partem, quam appetant, contra omnia venena esse pro antidoto. De his ranis, quos phynos Graeci vocant, mira tradunt auctores: Illatis in populum, silentium fieri: ossiculo, quod sit in dextro latere, in aquam ferventem dejecto, refrigerari vas, nec postea fervere, nisi exempto; canum impetus eo cohiberi; concitari jurgia, addito in potionem. (PLIN.)

Gypsum.

1018. Cognatum calci gypsum est. Plura ejus genera: nam e lapide coquitur, ut in Syria, et e terra foditur, ut in Cypro. Qui coquitur lapis, alabastritae similis esse debet. In Syria durissimos ad id deligunt[3] et fimo bubulo coquunt,

[1] Vide n. 76, a. [2] Vide n. 256, b. [3] Vide n. 298, b.

ut celerius urantur. Omnium autem optimum fieri compertum est ex lapide speculari squamamve habente. Gypso madido statim utendum est, quoniam celerrime coit et siccatur; tamen rursus tundi et in farinam resolvi patitur. Usus gypsi in albariis, sigillis aedificiorum et coronis gratissimus. (PLIN.)

Theatrum Scauri.

1019. Scaurus fecit theatrum in aedilitate sua, maximum operum, quae umquam fuere humana manu facta. Scena ei triplex, hoc est tergeminus sursum versus columnarum ordo. Ima pars scenae e marmore fuit, media e vitro, summa e tabulis inauratis, universae columnae tercentum sexaginta. Signa aurea inter columnas fuerunt tria millia. Reliquus apparatus tantus fuit Attalica veste et tabulis pictis, ut, deportatis in Tusculanum quae superfuerant, servi, qui villam incenderunt, ad [1] sestertium vicies perdiderint. (PLIN.)

Pyramides Aegyptiae.

1020. Pyramis amplissima, quam excitari jussit Cheops, Aegypti rex, ex Arabicis lapicidinis constat. Trecenta hominum millia eam construxisse fertur. Tres vero factae sunt annis octo et septuaginta. Inter eos, qui de iis scripserunt, non constat, a quibus factae sint. Tertia est minor, sed multo [2] spectatior. Quaestio est, quanam ratione in tantam altitudinem subvecta sint caementa. In pyramide maxima est puteus altus sex et octoginta cubitos [3], in quem flumen influere arbitrantur. Altitudinem earum invenit Thales Milesius umbram metiendo, qua hora par esse corpori solet. (PLIN.)

Tabula picta.

1021. Descendisse Parrhasius cum Zeuxide traditur in certamen de laude pingendi, quumque uvas detulisset Parrhasius in tabula pictas, eo successu, ut in scenam ad racemum aves

---

[1] Vide n. 163, b. [2] Vide n. 140, b. [3] Vide n. 288, b.

advolarent; tum Zeuxis ostendisse dicitur linteum in tabula pictum sic ex vero, ut Parrhasius, remoto tandem linteo, flagitaret ostendi tabulam. Qui, intellecto errore, palmam ingenuo pudore concessit, quoniam ipse volucres fefellisset, Zeuxis se [1] artificem. Fertur postea Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cum advolasset avis, processit operi iratus suo, quod uvas melius finxisset quam puerum; nam, si et hunc consummasset, avis timere debuerat. (PLIN.)

Pretium tabularum.

1022. Tabulis externis auctoritatem Romae fecit L. Mummius, cui cognomen Achaico [2] victoria dedit; nam, cum in praeda vendenda rex Attalus sestertium sexies emisset tabulam Aristidae, pretium miratus suspicatusque aliquid in ea virtutis, quod ipse nesciret, revocavit tabulam et in Cereris delubro posuit: quam primam arbitror picturam externam Romae publicatam. Deinde video et in foro positas vulgo; nam Crassus, lepidi orator ingenii, cum testis, qualem se reretur, interrogaret: «talem», inquit, ostendens digito pictum in tabella Gallum, linguam inficetissime exserentem [3]. (PLIN.)

Mendacium Ciceronis.

1023. Haec quoque disciplina rhetorica est, callide res criminosas et citra periculum confiteri; ut, si objectum sit turpe aliquid, quod negare nequeas, responsione joculari eludas et rem facias magis risu dignam quam crimine. Sic fecisse Ciceronem dicunt, cum id, quod infitiari non poterat, urbano dicto diluit. Nam cum emere vellet in Palatio domum et pecuniam in praesens non haberet, a L. Sulla, qui tum reus erat, mutuo sestertium vicies accepit.

1024. Ea res tamen, priusquam emeret, prodita in vulgus est; objectumque ei, quod pecuniam domus emendae causa a reo accepisset. Ea Cicero opprobatione permotus domum se empturum negavit. Quam cum postea emisset, et hoc

---

[1] Vide n. 76, a. [2] Vide n. 230, a. [3] Vide n. 306, a.

mendacium sibi ab inimicis in senatu objiceretur, risit satis atque inter ridendum [1] *acoinonetoi,* inquit, homines estis, cum ignoretis cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, empturum se negare propter competitores. (GELL.)

An sapiens irascatur.

1025. Interrogavi in diatriba Taurum, an sapiens irasceretur. Dabat enim saepe, post quotidianas lectiones, quaerendi, quod quisque vellet, potestatem. Is cum graviter et copiose de affectu irae disseruisset, convertitur ad me, qui interrogaveram, et haec ego, inquit, super irascendo [2] sentio.

1026. Sed quid Plutarchus, vir doctissimus, senserit, non abs re erit, ut id quoque audias. Is servum contumacem, sed disputandi [3] peritum caedi virgis jusserat ob nescio quod delictum. Inter flagellandum [4] obloquebatur non meruisse, ut vapularet, nihil enim sceleris admisisse [5]. Postremo vociferari coepit neque jam querimonias facere, sed verba objurgatoria: Plutarchum egregie de malo irae disseruisse; ei nequaquam convenire, quod [6] effusus in iram plagis se [7] multaret.

1027. Cui Plutarchus leniter: quid, inquit, num ego tibi irasci videor? Mihi quidem neque oculi, opinor, truces sunt neque os turbidum neque in spumam ruboremve effervesco neque poenitenda dico: haec enim omnia, si ignoras, signa sunt irarum. Et simul ad eum, qui caedebat, conversus, interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, hoc tu age. (GELL.)

Vetus parsimonia.

1028. Parsimonia apud veteres Romanos non domestica solum disciplina, sed publica etiam legum sanctione custodita est. Legi apud Capitonem senatus consultum, Fannio et Messala consulibus, factum, in quo jubentur principes civitatis jurare apud consules verbis conceptis non ampliorem in singulas coenas sumptum esse facturos quam centenos aeris,

---

[1] Vide n. 384. [2] Vide n. 128, c. [3] Vide n. 128, c. [4] Vide n. 127, c. [5] Vide n. 314, b. [6] Vide n. 215. [7] Vide n. 76, a.

praeter olus et far et vinum; neque vino alienigena, sed patrio usuros; neque argenti plus in convivio quam libras centum illaturos.

1029. Sed post id senatus consultum lex Fannia data est, quae ludis Romanis et aliis quibusdam diebus centenos aeris in singulas dies insumi concessit. Postea L. Sulla dictator, quum, legibus istis situ obliteratis, plerique in patrimoniis heluarentur et familiam pecuniamque suam coenarum gurgitibus proluissent, legem ad populum tulit, qua cautum est, ut diebus ludorum et feriis quibusdam sollemnibus sestertios tricenos in coenam insumere jus esset; ceteris autem diebus non amplius[1] ternos. (GELL.)

Infans a matre nutricandus.

1030. Nuntiatum quondam est Favorino philosopho, nobis praesentibus, uxorem auditoris sui paulo ante enixam, ipsumque auctum filiolo. Eamus, inquit, et puerperam visum et patri gratulatum: is enim erat loci senatorii. Imus una, qui tum aderamus, prosequutique eum sumus ad domum, quo pergebat, et cum eo simul introgressi sumus. Nactus hominem in vestibulo quaerit ex eo de puellae valetudine auditque eam somnum capere.

1031. Tunc ille: nihil dubito, inquit, quin filium lacte suo puerpera nutritura sit. Sed cum socrus, quae aderat, parcendum puellae esse diceret, abhibendasque infanti nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset[2], munus quoque nutricationis grave accederet; oro te, inquit, mulier, sine eam esse matrem filii sui: quod est enim hoc dimidiatum matris genus, peperisse ac statim ab sese abjecisse? aluisse sanguine suo nescio quid quod non videret; non alere nunc suo lacte, quem videat vivum et matris officia implorantem? (GELL.)

Multorum sympathia cum luna.

1032. Annianus poëta in fundo suo, quem in agro Falisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam amoeniter. Ad eos

[1] Vide n. 53. [2] Vide n. 258, a.

dies me aliosque familiares vocavit. Ibi coenantibus nobis, magnus ostrearum numerus Roma missus est: quae cum appositae fuissent multae quidem, sed inuberes; Lucina, inquit Annianus, nunc videlicet senescit; ea re[1] ostrea, sicut et alia quaedam, tenuis exutaque est.

1033. Quum quaereremus, quae alia item, senescente luna, tabescerent; eadem, inquit, quae, crescente luna, gliscunt deficiente deficiunt. Aelurorum oculi ad easdem vices lunae aut ampliores fiunt aut minores. Caepe contra congerminat, decedente luna; inarescit, adolescente. Eam causam esse dicunt sacerdotes Aegyptii, cur Pelusiotae caepe non edant, quia solum olerum omnium contra lunae aucta atque damna vices minuendi habeat et augendi. (GELL.)

De esuritione.

1034. Cum Favorino Romae dies plerumque totos[2] eramus atque eum, quoquo iret, tamquam lingua ejus capti prosequebamur. Tum ad quendam aegrum cum isset visere, nosque cum eo una introissemus, multa ad medicos, qui forte istic erant, oratione Graeca dixit, atque illud inprimis: mirum non esse, quod post inediam tridui omnis appetio pristina elanguerit.

1035. Nam, quod docet Erasistratus, esuritionem faciunt inanes ventriculi fibrae, quae ubi cibo complentur aut inanitate diutina connivent, voluntas capiendi[3] cibi restinguitur; quod locus, in quem cibus capitur, stipatur vel adducitur. Ea gratia Scythae, cum volunt famem diutius tolerare, fasciis ventrem strictissime circumligant, quod ea ventris compressione esuritionem credunt posse depelli. (GELL.)

Deest oleum in coena.

1036. Athenis Taurus philosophus vocabat nos ad coenam saepe admittebatque ad id diei, quum jam vesperasceret. Quodam die exspectantibus nobis allata est olla Aegyptiae lentis et imposita mensae. Tum puerum jubet Taurus oleum

---

[1] Vide n. 245, a. [2] Vide n. 283, b. [3] Vide n. 127, b.

in ollam indere. Erat is puer genere Atticus, annos natus octo, elegans et festivus. Guttum Samium, tamquam inesset oleum, affert convertitque et manum per omnem partem ollae circumagit; sed nullum inde ibat oleum.

1037. Aspicit puer guttum stomachans et concussum vehementius iterum in ollam vertit. Idque cum omnes rideremus, tum puer Graece et quidem perquam Attice: ne ridete, inquit; inest oleum, sed frigore coactum est. Tum Taurus ridens: verbero, inquit, nonne is curriculo atque oleum petis? Quumque puer foras emptum isset, nihil ipse mora offensior, cohibeamus, inquit, manus et interea, quoniam puer admonuit solere oleum congelascere, quaeramus, cur oleum saepe stet, vinum raro. (GELL.)

Adolescens jactans philosophiam.

1038. Quum Athenis versaremur apud magistros, L. Valerius, vir consularis, accersebat nos saepe in villas urbi proximas. Ibi quum essemus per aestatem, propulsabamus caloris incommoda lucorum umbra ad villae posticum[1]. Erat ibidem nobiscum adolescens, sectator disciplinae, ut ipse dicebat, Stoicae; sed loquacior impendio.

1039. Is plerumque in convivio sermonibus, qui post epulas haberi solent, intempestive de philosophiae doctrinis disserebat praeque se uno ceteros linguae Atticae principes totumque nomen Latinum contemnebat. Atque interea vocabulis haud facile cognitis captionum dialecticarum laqueis perstrepebat.

1040. Quas ille glorias cum flaret, jamque omnes verbis ejus fatigati finem cuperent, Valerius Graeca oratione utens: permitte, inquit, philosophorum amplissime, quoniam respondere nos tibi, quos idiotas appellas, non possumus; recitari ex libro, quid de hujuscemodi magniloquentia vestra senserit Epictetus, Stoicorum maximus: jussitque afferri Epicteti primum librum, in quo ille venerandus senex juvenes objurgat, qui se Stoicos appellant, cum neque frugi sint et[2] puerilibus commentationibus dilatrent. (GELL.)

---

[1] Vide n. 162, b. [2] Vide n. 204, f.

Diogenes ad dialecticum.

1041. Athenis cum essemus, convenire in gymnasium compluscul assueramus et captiones agitare, quae sophismata appellantur. Eas quasi tesserulas in medium sua quisque vice jaciebamus. Captionis parum intellectae poena erat nummus sestertius. Hoc aere collecto, quasi manuario, coenula curabatur omnibus, qui eum lusum luseramus. Dicere ergo debebat, qui ad sophisma refellendum sorte vocabatur, quid concedi non oporteret: qui minus id poterat, nummo singulo multabatur.

1042. Libet autem dicere, quam facete Diogenes sophisma a dialectico per contumeliam propositum remuneratus sit. Nam cum sic homo objecisset: »quod ego sum, id tu non es; homo autem ego sum; homo igitur tu non es»; Diogenes: «Validius argueres, inquit, si a me inciperes argumentum: Quod tu es, id ego non sum; sed tu es homo . . . perfice». (GELL).

Socrates de uxore rixosa.

1043. Xanthippe, Socratis philosophi uxor, morosa admodum fuisse fertur et jurgiosa. Ejus intemperiem demiratus Alcibiades interrogavit Socratem, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret: «Quoniam, inquit Socrates, quum illam domi perpetior, insuesco talem foris multorum petulantiam ferre.» Secundum hanc sententiam Varro in satyra Menippea: vitium, inquit, propinquorum aut tollendum aut ferendum est. Qui tollit vitium, propinquos commodiores praestat; qui fert, sese meliorem facit. (GELL.)

Annuli gestatio.

1044. Veteres Graecos habuisse accepimus annulum in digito sinistrae manus, qui minimo proximus est; Romanos quoque homines sic plerumque annulos gestavisse. Causam esse hujus rei Appion in libris Aegyptiacis hanc dicit: quod, insectis apertisque humanis corporibus, ut mos in Aegypto fuit, repertus est nervus quidam tenuissimus ab uno eo digito

ad cor hominis pervenire. Propterea non inscitum videri eum potissimum digitum tali honore decorari, qui connexus sit cum principatu cordis. (GELL.)

Atticus adit hereditatem.

1045. Atticus habebat avunculum, Q. Caecilium equitem Romanum, divitem, difficillima natura. Cujus sic asperitatem veritus es, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam. Quo facto tulit pietatis fructum: Caecilius enim moriens testamento adoptavit eum heredemque fecit ex dodrante; ex qua hereditate accepit circiter centies sestertium. (NEP.)

Solertia Eumenis.

1046. Ex fumo castrorum suspicio allata est ad Eumenem hostem appropinquare. Conveniunt duces; quaeritur, quid opus sit facto[1]. Intelligebant omnes tam celeriter copias contrahi non posse, quam hostis adfuturus videbatur. Hic, omnibus titubantibus, Eumenes, si velint imperata facere, promittit se effecturum, ut hostis retardaretur[2].

1047. Dum suas quisque copias colligit, Eumenes ad refrenandum impetum hostis tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obvii erant itineri adversariorum, hisque praecipit, ut prima nocte, quam latissime possint, ignes faciant quam maximos atque hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant; et, assimulata castrorum consuetudine, suspicionem injiciant hostibus esse his locis castra, ac de eorum adventu esse praenuntiatum; idemque postera nocte faciant. Quibus imperatum est, diligenter praeceptum curant.

1048. Hostis, tenebris obortis, ignes conspicatur: credit de suo adventu esse auditum, et adversarios illuc suas[3] contraxisse copias. Mutat consilium et, quoniam imprudentes adoriri non possit, flectit iter suum et illum anfractum longiorem copiosae viae capit; ibique diem unum opperitur, ad lassi-

[1] Vide n. 343, a. [2] Vide n. 269. [3] Vide n. 78, a.

tudinem sedandam militum ac reficienda jumenta, quo integriore exercitu decerneret. Sic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio. (NEP.)

Epaminondas accusatus se defendit.

1049. Lex erat Thebis, quae morte multabat, siquis imperium diutius retinuisset, quam lege praefinitum foret. Hanc Epaminondas cum reipublicae conservandae causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit et quatuor mensibus diutius, quam populus jusserat, gessit imperium. Postquam domum reditum est, collegae ejus hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit, omnem ut causam in se transferrent suaque opera factum ostenderent, ut legi non obedissent.

1050. Qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quod quid diceret non haberet. At ille in judicium venit; nihil eorum negavit, quae adversarii crimini dabant, omniaque, quae collegae dixerant, confessus est. Neque recusavit, quominus legis poenam subiret, sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo[1] inscriberent:

1051. «Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod eos coëgit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante se[2] imperatorem nemo Boeotiorum ausus fuit aspicere in acie; quodque uno proelio non solum Thebas ab interitu retraxit; sed etiam universam Graeciam in libertatem vindicavit; eoque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent; neque prius bellare destitit, quam Messena constituta urbem eorum obsidione clausit.» Haec cum dixisset, risus omnium coortus est, neque quisquam judex ausus est de eo ferre suffragium. (NEP.)

Mores Alcibiadis.

1052. In Alcibiade natura quid efficere posset, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in

[1] Vide n. 79. [2] Vide n. 77, b.

virtutibus. Natus in amplissima civitate, summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res aptus consiliique plenus. Namque imperator fuit summus et mari et terra; disertus, ut[1] in primis dicendo valeret; quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei in dicendo[2] posset resistere. Quum tempus posceret, laboriosus, liberalis, splendidus non minus in vita quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens.

1053. Idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam. (NEP.)

Lysandri deceptio.

1054. Quum Lysander praefectus classis in bello multa crudeliter avareque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum, petiit a Pharnabazo, ut ad ephoros sibi[3] testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset sociosque tractasset, deque ea re accurate scriberet. Huic ille liberaliter pollicetur: librum gravem multis verbis conscribit, in quo summis eum effert laudibus. Quem quum legisset Lysander probassetque; alterum tanta similitudine, ut discerni non posset, inter obsignandum[4] subjecit Pharnabazus, in quo Lysandri avaritiam perfidiamque accusabat.

1055. Lysander domum quum rediisset, postquam de suis rebus gestis apud magistratum, quae voluit, dixit; testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit; quem cum ephori cognossent, Lysandro legendum dederunt[5]. (NEP.)

Liberalitas Cimonis.

1056. Cimonem Athenienses non solum in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate, ut, quum praedia pluribus locis haberet, numquam eis custodem im-

---

[1] Vide n. 386. [2] Vide n. 128, e. [3] Vide n. 76, a. [4] Vide n. 384.
[5] Vide n. 354, b.

posuerit, fructus servandi gratia. Semper eum pedisequi cum nummis sequebantur, ut, siquis opis ejus indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare.

1057. Saepe, cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret; quod facere nullum diem praetermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Multos locupletavit, complures pauperes mortuos, qui, unde[1] efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo[2] minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura et mors acerba. (NEP.)

Materia dicendi.

1058. Sic artibus pectus implebant veteres, ut de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto haberent ad disputandum. Nam in judiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate ita dicitur, ut plerumque haec ipsa misceantur. De quibus copiose nemo dicere potest, nisi qui cognorit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et rationem eorum, quae nec in virtutibus nec in vitiis numerantur.

1059. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram judicis vel instiget vel leniat, qui scit, quid sit ira; promptius ad misericordiam impellat, qui scit, quid sit misericordia, et quibus animi motibus concitetur. In his artibus versatus orator tenebit habenas animorum; et prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem. (TAC.)

Educatio vetus.

1060. Antiquitus suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis, sed gremio matris educabatur. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua probatisque spectata moribus, cujus[3] disciplinae soboles committeretur;

---

[1] Vide n. 305, a. [2] Vide n. 133. [3] Vide n. 352.

coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur.

1061. Ac non studia modo, sed etiam lusus puerorum verecundia quadam temperabat. Sic Corneliam, Aureliam, Atiam praefuisse educationi liberorum accepimus. Quae disciplina eo pertinebat, ut integra et nullis pravitatibus detorta puerorum natura toto statim pectore arriperet artes humanas, sive ad juris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret et penitus hauriret. (TAC.)

Educatio recentior.

1062. Nunc natus infans relegatur Graeculae ancillae, cui adjungitur unus vel alter servus, plerumque vilissimus. Horum fabulis teneri animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante aut dicat aut faciat; quando ne ipsi quidem parentes modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati.

1063. Histrionalis autem favor et gladiatorum equorumque studia, quibus occupantur puerorum mentes, quantum loci bonis artibus relinquunt? Quotum quemque inveneris, qui domi apud parvulos sanius loquantur?[1] Quos alios sermones excipimus, siquando auditoria intramus? Ne praeceptores quidem nugis abstinent; colligunt enim discipulos non severitate disciplinae, sed ambitione salutationum. (TAC.)

Oratores Latini.

1064. Ut inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, sic inter Latinos Ciceroni. Calvus autem, Asinius, Caesar, Caelius et Brutus non solum prioribus, sed etiam sequentibus anteponuntur. Nec refert, quod inter se specie differant, quum genere consentiant. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, omnes tamen eandem sanitatem ferunt. Nam quod invicem se obtrectaverunt, non est oratorum vitium, sed hominum.

---

[1] Vide n. 29.

1065. Ceterum si, omisso optimo illo genere eloquentiae, eligenda sit forma dicendi, malim, hercule, C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis: adeo malim oratorem hirtam togam induere quam meretricias vestes. Neque enim oratorius, imo ne virilis quidem cultus iste est, quo plerique nostra memoria actores utuntur, qui lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimunt. (TAC.)

De usu figurarum.

1066. Ego illud de figuris dicam breviter, sicut ornant orationem opportune positae, ita ineptissimas esse, cum immodice petuntur. Sunt qui, neglecto[1] rerum pondere et viribus sententiarum, si vel inania verba in[2] hos modos depravarint, summos se judicent artifices; ideoque non desinunt eas nectere; quas sine sententia sectari tam est ridiculum quam quaerere habitum gestumque sine corpore.

Sed ne hae quidem, quae recte fiunt, densandae sunt nimis; nam et vultus mutatio oculorumque conjectus multum in actu valent; sed siquis ducere os exquisitis modis et frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur. (QUINT.)

De ornatu stili.

1067. Ornatus virilis, fortis et sanctus sit; nec effeminatam levitatem, nec fuco eminentem colorem amet; sanguine et viribus niteat. Hoc autem adeo verum est, ut, cum in hac maxime parte sint vicina virtutibus vitia, etiam qui vitiis laborant, virtutis tamen his nomen imponant[3].

1068. Quare nemo ex corruptis dicat me inimicum esse culte dicentibus: non nego hanc esse virtutem, sed illis eam non tribuo. An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia et violas et amoenos fontes, quam ubi plena messis aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum

[1] Vide n. 379, b. [2] Vide n. 178, c. [3] Vide n. 385.

tonsasque myrtos quam maritam ulmum et uberes oleas praeoptaverim? Habeant illa divites; quid essent, si aliud nihil haberent? (QUINT.)

De auctorum imitatione.

1069. Ex auctoribus lectione dignis et verborum sumenda copia est et varietas figurarum et componendi ratio; tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam, ut invenire primum fuit, sic ea, quae bene inventa sunt, utile sequi.

1070. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut, quae probamus in aliis, facere ipsi velimus. Sic litterarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur; sic musici vocem docentium; rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formantur imitando. (QUINT.)

Bonus praeceptor.

1071. Magister sumat ante omnia parentis erga discipulos suos[1] animum ac succedere se[2] existimet in eorum locum, a quibus sibi liberi traduntur. Ipse nec habeat vitia nec ferat. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas; ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto et bono sit sermo; nam, quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit.

1072. Minime iracundus nec tamen eorum, quae emendanda sunt, dissimulator. Simplex in docendo[3], patiens laboris[4], assiduus potius quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus nec effusus; quia res altera taedium laboris, altera securitatem parit. In emendando quae corrigenda erunt, non acerbus minimeque contumeliosus: nam id quidem multos a proposito studendi[5] fugat, quod quidam sic objurgant, quasi oderint. (QUINT.)

---

[1] Vide n. 78, a. [2] Vide n. 75, a. [3] Vide n. 128, e. [4] Vide n. 126, a. [5] Vide n. 128, d.

De usu temporis.

1073. Vindica te tibi et tempus, quod adhuc excidebat, collige et serva. Quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est jactura, quae per negligentiam fit: et si volueris attendere, maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem aestimet, qui intelligat se quotidie mori?

1074. In hoc enim fallimur, quod[1] mortem prospicimus; magna pars ejus jam praeteriit; quidquid aetatis retro est, mors tenet. Utendum est tempore, prius quam abit: incumbendum ad studia liberalia. Mentiuntur, qui sibi obstare ad studia turbam negotiorum causantur. Simulant occupationes et augent et ipsi se occupant. Ego mihi vaco et, ubicumque sum, ibi meus sum. Rebus enim me non trado, sed commodo; nec consector terendi temporis causas. Et quocumque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto et aliquid in animo salutare verso. (SEN.)

De usu divitiarum.

1075. Quid inter me stultum et te sapientem interest, si uterque habere volumus? Divitiae enim apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio: sapiens divitiis nihil permittit; vobis divitiae omnia. Vos, tamquam aliquis aeternam possessionem promiserit, assuescitis illis: sapiens tum maxime paupertatem meditatur, cum in mediis divitiis consistit.

1076. Vos domus formosa possidet, eam sapiens. Sapienti quisquis abstulerit divitias, omnia illi sua[2] relinquit; vivit enim praesentibus laetus, futuri[3] securus. «Nihil magis, Socrates inquit, persuasi mihi, quam ne ad opiniones vestras actum vitae meae flecterem.» Solita conferte verba: non conviciari vos putabo, sed vagire velut infantes. (SEN.)

---

[1] Vide n. 215, b. [2] Vide n. 81, b. [3] Vide n. 41.

Sana consilia non differenda.

1077. Tamquam semper victuri vivitis; numquam vobis fragilitas vestra succurrit neque observatis, quantum jam temporis transierit. Omnia tamquam mortales timetis; omnia tamquam immortales concupiscitis. Audies multos dicere: ab anno quinquagesimo in otium secedam. Et quem tandem longioris vitae praedem accipis?

1078. Non pudet te reliquias vitae tibi reservare et id solum tempus bonae menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc incipere, quum desinendum est. Quae tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia; et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?

1079. Maximum vivendi[1] impedimentum exspectatio est, quae pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod est in manu tua; crastinum disponis, quod est in manu fortunae. Quo spectas? Omnia, quae futura sunt, in incerto jacent: protinus vive: quid cunctaris? nisi occupas, fugit. Itaque cum celeritate temporis utendi velocitate certandum est: velut ex torrente rapido nec semper casuro[2] cito hauriendum est.

(SEN.)

Satis longa vita est.

1080. Non exiguum tempus habemus; sed multum perdimus. Satis longa vita est et in maximarum rerum consummationem data, si bene collocaretur. Sed ubi per luxum et negligentiam defluit, ubi nulli rei bonae impenditur; ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus.

1081. Non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Sicut amplae opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur; at quamvis modicae, si bono custodi traditae sunt, usu crescunt; ita aetas nostra bene disponenti multum patet. (SEN.)

---

[1] Vide n. 128, d. [2] Vide n. 308, a.

Vana concursatio.

1082. Quorsum ista multorum concursatio, domos et theatra et fora oberrantium?[1] Alienis se negotiis miscent, similes aliquid agentibus. Horum si aliquem exeuntem domo interrogaris: quo tu? quid cogitas? Non, mehercule, inquit, scio; sed aliquos videbo; aliquid agam.

1083. Sine proposito vagantur quaerentes negotia: nec, quae destinaverunt, agunt, sed in quae[2] incurrunt. Vanus illis cursus est qualis formicis per arborem repentibus, quae in cacumen, deinde in imum inanes aguntur. Horum vitam non immerito quis inquietam inertiam dixerit.

1084. Quosdam quasi ad incendium currentes videas: usque eo impellunt obvios. Interim salutant non resalutaturos; funus ignoti hominis prosequuntur aut judicium litigantis, aut lecticam assectantur: deinde domum cum supervacanea redeuntes lassitudine, jurant nescisse se quare exierint, erraturi[3] postridie per eadem vestigia. (SEN.)

Fortuna est versatilis.

1085. Mirer aliquando ad me pericula accessisse, quae circa me semper erraverunt? Ut est apud poëtam: «Cuiquam potest accidere, quod cuiquam accidit.» Hoc si quis in medullas demiserit et aliena mala sic aspexerit, tamquam illis liberum ad se[4] iter sit; multo ante se[5] armabit, quam petatur.

1086. Sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. «Non putavi hoc futurum: numquam hoc eventurum credidissem.» Quare autem non? Quae sunt divitiae, quas non egestas a tergo sequatur? quae dignitas, cujus augurale non sordes comitentur? Quod regnum est, cui non parata sit ruina? Scito ergo omnem conditionem versatilem esse et, quidquid in alium incurrerit, posse in te quoque. (SEN.)

---

[1] Vide n. 306, a. [2] Vide n. 301, b. [3] Vide n. 382, a. [4] Vide n. 76, a.
[5] Vide n. 74.

De paupertate.

1087. Si aerumnas, quibus angimur; aegrotationes, metus, desideria compares cum iis, quae mala pecunia affert, haec pars multum praegravabit. Erras, si putas aequiori animo detrimenta divites ferre. Dion eleganter ait non minus molestum esse calvis quam comatis pilos velli. Idem scias de pauperibus divitibusque: par est enim tormentum, quia utrisque pecunia sua adhaesit nec sine sensu evelli potest, facilius-que est non habere, quam amittere: ideo laetiores videbis, quos numquam fortuna respexit, quam quos deseruit.

1088. Vidit Diogenes hoc, vir ingentis animi, et effecit, nequid sibi eripi posset. Hunc tu pauperem putas an diis immortalibus similem, qui se fortuitis omnibus exuit? Feliciorem tu Demetrium vocas, quem non puduit ditiorem esse Pompejo? Numerus illi quotidie servorum, velut imperatori militum [1], referebatur. At Diogeni servus unicus fugit, nec eum reducere tanti putavit. Turpe est, inquit, Manem sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse. (SEN.)

Delectus amicorum.

1089. Nihil aeque oblectaverit animum quam amicitia fidelis, ubi praeparata sunt pectora, in quae tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet.

1090. Quos invenies vacuos a cupiditatibus, amicos eliges. Serpunt enim vitia et in proximum quemque transiliunt et contactu nocent. Itaque ut in pestilentia curandum est, ne corruptis corporibus assideamus, quia afflatu ipso pericula trahemus; ita in amicorum legendis [2] ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Initium morbi est aegris sana miscere.

---

[1] Vide n. 34. [2] Vide n. 127, b.

1091. Nec hoc praeceperim tibi, ut neminem nisi sapientem sequaris; ubi enim istum invenies? Pro[1] optimo est minime malus. Praecipue vitetur tristis et multum deplorans, cui nulla non causa in querelas quaeritur: cui licet fides constet et benevolentia, comes tamen est perturbatus et omnia gemens. (SEN.)

Stulti facile irascuntur.

1092. Tauros color rubicundus proritat, umbra aspides, mappa ursos. Omnia, quae natura fera sunt, vanis rebus concitantur. Idem stolidis ingeniis evenit: rerum suspicione feriuntur; adeo quidem, ut pro injuriis habeant modica beneficia. Carissimis irascimur, quod minora praestiterint, quam putabamus, aut quam quae aliis contulerunt; utriusque rei paratum remedium est. Magis alteri indulsit? nostra nos sine comparatione delectent. Minus habeo quam speravi? sed fortasse plus speravi, quam debui: hinc perniciosae irae nascuntur.

1093. Julium Caesarem non tam inimici confecerunt quam amici, quorum non expleverat spes inexplebiles. Voluit ille quidem; neque enim quisquam liberalius victoria usus est, ex qua nihil sibi vindicavit nisi dilargiendi[2] potestatem. Sed qui sufficere tam improbis cupiditatibus posset? Vidit itaque strictis circa sellam suam gladiis commilitones suos, Cimbrum, acerrimum paulo ante suarum partium defensorem, et Brutum, quem adoptaverat. (SEN.)

Crudelitas Cambysis.

1094. Cambysem regem deditum vino Praexaspes, unus ex carissimis, monebat, ut parcius biberet, turpem enim esse[3] ebrietatem in rege. Ad hoc ille: ut videas, inquit, quam inter scyphos sim compos mei, monstrabo jam et oculos mihi et manus post vinum in officio esse. Bibit deinde liberalius, et jam temulentus objurgatoris sui filium procedere ultra limen jubet et stare, sinistra super caput levata. Tunc intendit

---

[1] Vide n. 190, a. [2] Vide n. 128, d. [3] Vide n. 314, b.

arcum et ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisoque pectore, haerens in ipso corde spiculum ostendit, ac, respiciens patrem, satisne[1] certam haberet manum interrogavit.

1095. Ille animo potius quam conditione mancipium, ejus rei laudator fuit, cujus nimis erat spectatorem fuisse. Apollo, inquit, certius mittere non potuisset. Dii te male perdant, qui occasionem blanditiarum putasti pectus filii in duas partes diductum et cor sub vulnere palpitans. Controversiam facere de gloria debuisti et revocare ictum, ut regi liberet in te ipso certiorem manum ostendere. (SEN.)

Omen catellae.

1096. Paulus Aemilius, ejus, qui ad Cannas cecidit, filius, quum adversus Perseum profecturus esset et domum sub vesperam rediret, filiolam suam Tertiam osculans animadvertit tristiculam: quid est, inquit, mea Tertia, quid tristis es? Mi pater, inquit illa, Perse periit (erat autem mortua catella eo nomine). Tum ille arctius puellam complexus[2]: accipio, inquit, omen, mea filia. Ita ex fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo praesumpsit. (CIC.)

Annulus Gygis.

1097. Gyges, quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cujus in lateribus fores essent[3]: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumque aureum in ejus digito; quem ut detraxit, ipse induit seque in concilium pastorum recepit; erat enim regius pastor.

1098. Ibi quum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur, quum in locum annulum converterat. Itaque hac

---

[1] Vide n. 333, a. [2] Vide n. 381, a. [3] Vide n. 258, a.

opportunitate annuli usus, regina adjutrice, regem dominum interemit sustulitque, quos[1] obstare abitrabatur; neque in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta quaeruntur. (CIC.)

Ira Cn. Pisonis.

1099. Ira, etiamsi ingeritur oculis veritas, amat et tuetur errorem; coargui non vult et in male coeptis honestior illi pertinacia videtur quam poenitentia. Cn. Piso fuit memoria nostra, cui placebat pro constantia rigor. Is cum iratus ad necem duci[2] jussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, roganti[3] tempus aliquod ad conquirendum non dedit.

1100. Damnatus extra vallum ductus est et jam cervicem porrigebat, quum subito apparuit ille commilito, qui occisus credebatur. Tum centurio supplicio praepositus condere gladium speculatorem jubet; damnatum ad Pisonem reducit: ingenti concursu deducuntur complexi alter alterum commilitones cum magno gaudio castrorum.

1101. Conscendit tribunal furens Piso ac jubet occidi utrumque et ipsum centurionem, qui damnatum reduxerat. Constituti sunt in eodem loco perituri[4] tres ob unius innocentiam. Oh quam sollers est iracundia ad fingendas[5] causas furoris! Te, inquit Piso, duci jubeo ad necem, quia damnatus es; te, quia causa damnationis commilitoni fuisti; te, quia jussus occidere imperatori non paruisti. (SEN.)

Damna irae.

1102. Si damna irae intueri velis[6], nulla pestis humano generi pluris[7] stetit. Videbis caedes ac venena et urbium clades et exitia gentium et principum sub civili hasta, capita

---

[1] Vide n. 301, b. [2] Vide n. 313, a. [3] Vide n. 306, a. [4] Vide n. 308, a.
[5] Vide n. 127, b. [6] Vide n. 367. [7] Vide n. 225, a.

venalia et subjectas tectis faces. Aspice nobilium urbium fundamenta diruta; has ira dejecit. Aspice tot memoriae proditos duces, «mali exempla[1] fati»: alium ira in cubili suo confodit; alium inter mensam ira percussit; alium inter leges celebrisque spectaculum fori lancinavit; alium filii parricidio dare sanguinem jussit.

1103. Et adhuc singulorum supplicia narro; quid, si libuerit, relictis, in quos ira viritim exarsit, aspicere caesas gladio conciones et plebem immisso milite trucidatam et in perniciem promiscuam totos populos capitis damna passos[2]? (SEN.)

Notatio irae.

1104. Affectum irae pertimesces ex omnibus maxime tetrum. Ceteris enim aliquid inest placidi: hic totus concitatus est sanguinisque et suppliciorum cupidus. Dum alteri noceat, sui negligens, in ipsa irruens tela et avidus ultionis secum tracturae[3] ultorem.

1105. Quidam e sapientibus iram dixerunt brevem insaniam; aeque enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod[4] coepit pertinax, ratione consiliisque praeclusa, ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere, franguntur.

1106. Ut autem scias non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere; nam ut furentium certa indicia sunt minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, vehementius acta suspiria; ita irascentium eadem signa sunt. (SEN.)

Exercitus Alexandri apud barbaros.

1107. Quum populus Gedrorum se, concilio habito, dederet, nihil ei praeter commeatus imperatum est. Hinc rex ad maritimos Indos venit, qui ne finitimis quidem commercii jure miscentur. Ipsa solitudo immitia efferavit ingenia: nec

---

[1] Vide n. 1. [2] Vide n. 307. [3] Vide n. 308, a. [4] Vide n. 301, b.

ungues recidunt nec comas hirsutas tondent, piscibus sole duratis aliarumque belluarum, quas fluctus ejicit, carne vescuntur pellibusque teguntur ferarum.

1108. Consumptis igitur alimentis[1], Macedones primo inopia, deinde ultima fame afflicti, radicibus palmarum victitare coeperunt; sed quum haec quoque alimenta defecerant, jumenta caedere aggressi ne equis quidem abstinebant, cumque deessent quae sarcinas veherent, spolia de hostibus, propter quae orientem peragraverant, cremabant incendio. Famem pestilentia sequuta est, quippe insalubrium ciborum novi succi, ad hoc itineris labor et aegritudo animi vulgaverat morbos, ut nec manere sine clade nec progredi possent.

1109. Ergo strati erant campi pluribus semivivis quam cadaveribus. Ac ne aegri quidem sequi poterant, quippe agmen raptim agebatur, tantum singulis ad salutem proficere se credentibus[2], quantum itineris festinando praeriperent. Relicti opem implorabant; at cum surdas fatigarent aures, in rabiem versi parem suo exitum fugientibus precabantur. Rex dolore simul et pudore anxius, quia causa tantae cladis ipse erat, ad Phrataphernem satrapam misit, qui juberet per camelos cocta cibaria afferri. Nec cessatum est ab his. Itaque fame vindicatus exercitus tandem in Gedrosiae fines perducitur.

(CURT.)

Medicus Alexandri.

1110. Aegrotanti Alexandro promiserat in tertium diem medicatam potionem Philippus, regi amicissimus et ab adolescentia comes. Interea a Parmenione litteras rex accipit, quibus sibi[3] denuntiatur, ne salutem suam[4] Philippo committat: mille talentis a Dario et spe nuptiarum sororis esse[5] corruptum. Ingentem regi sollicitudinem litterae incusserunt et, quidquid in utramque partem aut metus aut spes subjecerat, secreta aestimatione pensavit.

---

[1] Vide n. 379, b. [2] Vide n. 375, b. [3] Vide n. 77, b. [4] Vide n. 84. [5] Vide n. 314, b.

1111. Triduo transacto, venit cum poculo Philippus: quem ut vidit rex ad lectum accedere, levavit in cubitum corpus et epistolam a Parmenione missam sinistra manu tenens accepit poculum et hausit interritus; tum litteras Philippum legere jubet. Quibus ille perlectis[1] plus indignationis quam pavoris ostendit, projectaque ante lectum epistola: rex, inquit, semper spiritus meus ex te pependit; crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet; laxa paulisper animum, quem sollicitudine intempestiva amici moleste seduli turbant.

1112. Non securum modo haec vox, sed laetum etiam regem fecit. Itaque si dii, inquit, Philippe, tibi permisissent, quo maxime modo animum velles experiri meum; alio forte voluisses, sed certiore, quam expertus es, ne optasses quidem. Haec loquutus dextram Philippo offert. Post tertium diem, quam[2] poculum bibit, in conspectum militum venit: nec avidius ipsum regem quam Philippum intuebatur exercitus. (CURT.)

Fabulae Plinianae.

1113. Plinius narrat accipitrem, avem rapidissimam, a chamaeleonte humi reptante, si eum forte supervolet, in terram detrahi. Atque illud ultra humanam fidem: caput et collum ejus animantis, si uratur ligno, quod appellatur robur, imbres et tonitrua excitare; idque ipsum usuvenire, si jecur ejusdem belluae in summis tegulis uratur.

1114. Item aliud deridiculae vanitatis[3]: sinistrum pedem chamaeleontis, si igne torreatur et maceretur unguento, hominem sic e conspectu eripere, ut, etiamsi in medio palam versetur, a nemine videri possit. (GELL.)

Adolescens veterem sermonem affectans.

1115. Favorinus philosophus adolescentem veterum verborum cupidissimum sic objurgavit: proinde, inquit, quasi cum Evandro loquare, desito jam pridem sermone uteris; num intel-

---

[1] Vide n. 379, b. [2] Vide n. 51, b. [3] Vide n. 222, c.

ligere neminem vis, quae dicas? Antiquitatem ais tibi placere, quod honesta et bona sit: vive ergo moribus antiquis; loquere verbis praesentibus. Atque id quod a Caesare, excellentis ingenii[1] viro, scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tamquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum. (GELL.)

Pars Africae interior.

1116. Africam mediam nulli cultores tenent; nam partim exusta est, partim arenis obducta aut infesta serpentibus. Prope exustum jacent insulae, quas Hesperides tenuisse memoratur. In arenis mons Atlas consurgit incisis undique rupibus praeceps et invius; qui, quod altius, quam conspici[2] potest, in nubila erigitur, coelum non tangere solum vertice, sed sustinere etiam dictus est.

1117. Fortunatae insulae abundant sua sponte natis frugibus et homines nihil sollicitos beatius alunt quam aliae excultae urbes. Narrant in una insularum esse duos miro ingenio[3] fontes: alterum qui gustavere, risu solvuntur; risu solutis remedium est ex altero bibere. (POMP. MELA.)

India.

1118. India non Eoo tantum apposita pelago, sed Indico etiam et Tauri jugis. Tantum spatium littoris occupat, quantum per quadraginta dies velificantibus cursus est. Alit formicas non minores canibus, quas, more gryphorum, aurum penitus egestum cum summa pernicie attingentium custodire memorant[4]. Immanes alit serpentes, qui elephantos morsu atque ambitu corporis conficiunt. Tam feracis[5] alicubi soli est, ut mella frondibus defluant, lanas silvae ferant, arundinum fissa internodia veluti naviculae binos quaedam et ternos vehant.

1119. Cultores lino alii vestiuntur aut lanis, alii ferarum aviumque pellibus; pars nudi agunt, tantum obscoena[6] velati.

---

[1] Vide n. 222, c. [2] Vide n. 58. [3] Vide n. 243, a. [4] Vide n. 298, a.
[5] Vide n. 222, c. [6] Vide n. 232, b.

Alii humiles parvique, alii ita proceri, ut elephantis, sicut nos equis, habiliter utantur. Quidam animal occidere aut carne vesci nefas putant et pisces tantum alunt. Quidam proximos, priusquam annis in maciem eant, velut hostias caedunt. At ubi senectus aut morbus incessit, procul a ceteris abeunt mortemque in solitudine exspectant. (POMP. MELA.)

Scythia.

1120. Scythicis populis sol non quotidie ut nobis, sed verno aequinoctio exortus autumnali occidit: ideo sex mensibus dies, totidem nox est. Scythae diutius quam ulli mortalium et beatius vivunt; quippe festo semper otio laeti non bella noverunt, non jurgia. Sacris Apollinis operantur, quorum primitias dicuntur[1] Delon misisse per virgines suas moremque servasse, donec vitio gentium temeratus est. Habitant lucos silvasque et, ubi eos vivendi[2] satietas magis quam taedium cepit, sertis redimiti semet ipsi in pelagus ex certa rupe praecipites dant. (POMP. MELA.)

Sarmatae.

1121. Sarmatia usque ad Istrum flumen porrigitur. Ea gens non se urbibus tenet ac ne statis quidem sedibus, sed, ut invitavere pabula aut sequens hostis exegit, ita res suas secum trahens castra habitat. Bellatrix, libera, indomita et usque eo atrox, ut feminae etiam cum viris bella ineant. Atque ut habiles bello sint, filiabus dextra aduritur mamma, ne manus impediatur, quae ad ictus exseritur. Arcus tendere, equitare, venari puellaria pensa sunt; ferire hostem adultarum stipendium. (POMP. MELA.)

De maris accessu ac recessu.

1122. Infinitum pelagus et magnis aestibus concitum modo inundat littora, modo deserit. Ubi in omnes oras, quamvis[3] diversas, ex medio effusum est, rursus ab illis colligitur in

---

[1] Vide n. 315, c. [2] Vide n. 128, d. [3] Vide n. 211, a.

medium et in semet ipsum redit. Neque adhuc satis cognitum est, anhelitune suo id mundus efficiat retractamque cum spiritu regerat undam, an sint depressi aliqui specus, quo reciprocata maria residant, an luna causas tantis meatibus praebeat, ad cujus ortus certe occasusque variantur. (POMP. MELA.)

Descriptio Hispaniae.

1123. Hispania, nisi qua Gallias tangit, pelago undique cincta est: ubi Galliis adhaeret, maxime angusta paulatim se in nostrum et Oceanum mare extendit. Aere, argento, auro omnique fruge adeo abundans, ut, sicubi ob penuriam aquarum effeta et sui dissimilis est, linum tamen et spartum alat. Tribus autem est distincta nominibus: pars Tarraconensis, pars Baetica, pars Lusitania vocatur.

1124. Tarraconensis altero capite Gallias, altero Baeticam Lusitaniamque contingens mari latera objicit nostro, qua meridiem; qua septentrionem spectat, Oceano. Urbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimae fuerunt: Pallantia et Numantia, nunc est Caesaraugusta; in Lusitania: Emerita; in Baetica: Astigis, Hispal, Corduba. (POMP. MELA.)

Mores Thracum.

1125. Haemon et Rhodopen coetu Maenadum celebratos una gens, Thraces[1], habitant. Alii redituras[2] putant animas obeuntium; alii, etsi non redeant, non exstingui tamen, sed ad beatiora transire; alii emori quidem, sed id melius esse quam vivere. Itaque lugentur apud quosdam puerperia, natique deflentur; funera contra festa sunt et lusu celebrantur.

1126. Ne feminis quidem segnis est animus. Super mortuorum virorum corpora interfici simulque sepeliri votum eximium habent: et, quia plures simul singulis nuptae sunt, cujus id sit decus apud judicaturos magno certamine affectant. (POMP. MELA.)

---

[1] Vide n. 1. [2] Vide n. 311, b.

Mores barbarorum.

1127. Satarchae auri et argenti, maximarum pestium[1], ignari vice rerum commercia exercent. Atque ob saevum hiemis[2] admodum assiduae, demersis in humum sedibus, specus habitant totum bracati corpus[3]; et, nisi qua vident, etiam ora vestiti. Tauri, Iphigeniae adventu maxime memorati, immanes sunt moribus immanemque famam habent solere pro victimis advenas caedere.

1128. Vagi nomades pecorum pabula sequuntur atque, ut illa durant, ita diu statam sedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros. Axiacae furari quid sit ignorant; ideoque nec sua custodiunt nec aliena contingunt. Interius habitantium ritus asperior, et incultior regio est. Bella caedesque amant; mosque est bellantibus cruorem ejus, quem primum interemerunt, ipsis e vulneribus ebibere. Ut quisque plures interemit, ita apud eos habetur eximius. Inter epulas quot quisque interfecerit referre laetissima mentio est, binisque poculis, qui plurimos retulerunt, perpotant. (POMP. MELA.)

Pyrrhus hostem laudat.

1129. Pyrrhus captivos Romanos summo honore habuit; occisos etiam sepelivit, quos quum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos jacere cerneret, manus ad coelum tulisse dicitur cum hac voce: «Ego talibus viris brevi orbem terrae subegissem». Deinde ad urbem contendenti obviam venit Laevinus cum novo exercitu: quo viso, rex ait sibi eandem adversus Romanos esse fortunam, quam[4] Herculi adversus Hydram; cui tot capita renascebantur, quot praecisa fuerant. Mox in Campaniam se recepit missosque a senatu de[5] redimendis captivis legatos honorifice excepit. Captivos sine pretio reddidit, ut Romani, cognita jam ejus virtute, cogno-

---

[1] Vide n. 1. [2] Vide n. 35, a. [3] Vide n. 232, c. [4] Vide n. 68, b.
[5] Vide n. 33, c.

scerent etiam liberalitatem. Erat videlicet Pyrrho, utpote magno et forti viro, mitis ac placabilis animus; solet enim magni animi comes esse clementia. (APUD LHOM.)

CAPUT TERTIUM.

THEMATA TERTII GRADUS.

Hannibal transit Alpes.

1130. Ventum[1] est ad angustiorem rupem atque ita rectis saxis, ut aegre expeditus miles tentabundus[2] manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset. Natura locus jam ante praeceps recenti lapsu terrae in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat.

1131. Hic quum velut ad finem viae equites constitissent, miranti[3] Hannibali, quae res moraretur agmen, nunciatur rupem inviam esse. Digresso[4] deinde ipsi ad locum visendum, haud dubia res visa est, quin[5] per invia, quamvis longo ambitu, circumducendum agmen esset. Ea vero via insuperabilis fuit. Nam quum tot hominum jumentorumque incessu dilapsa nix esset, quae super glaciem deciderat, per fluentem tabem liquescentis nivis ingrediebantur.

1132. Tetra luctatio ibi fuit; nam, lubrica glacie non recipiente[6] vestigium et in prono citius pedes fallente, corruebant, seu manibus in assurgendo seu genu se adjuvissent; atque in levi glacie tabidaque nive volutabantur. Jumenta vero secabant pedibus glaciem, prolapsaque, jactandis[7] gravius in connitendo ungulis, penitus perfringebant, ut[8] pleraque capta velut pedica haererent in alte concreta glacie.

1133. Tandem, fatigatis hominibus et jumentis, castra in jugo posita sunt, aegerrime ad id ipsum loco purgato. Inde ad rupem muniendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti. Quumque caedenda esset rupes, arboribus circa

---

[1] Vide n. 249, a. [2] Vide n. 137, a. [3] Vide n. 306, a. [4] Vide n. 307.
[5] Vide n. 212, b. [6] Vide n. 375, b. [7] Vide n. 383, c. [8] Vide n. 386.

immanibus dejectis, struem ingentem lignorum faciunt eamque succendunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent. Hoc maxime modo in Italiam perventum[1] est quinto mense post profectionem a Carthagine nova, ut quidam auctores sunt. (Liv.)

Sallustius contra Ciceronem.

1134. Graviter maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem judicio magis quam morbo animi petulantia ista uti; sed, quia modum in loquendo servare nullum potes, respondebo tibi, ut, quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas.

1135. Sic te arroganter jactas, quasi facta tua obscura essent. An est qui ignoret te ita a pueritia vixisse, ut nihil flagitiosum putares esse tibi? Quid, istam immoderatam eloquentiam nonne apud Pisonem pudicitiae jactura didicisti? Ita minime mirandum est, si[2] eam flagitiose venditas, quam turpissime parasti.

1136. Verum, opinor[3], splendor domesticus tibi animos attollit: uxor sacrilega ac perjuriis delibuta; filia inverecunda; domus ipsa rapinis parata. Tamen se Cicero in concilio deorum ait fuisse indeque missum huic urbi civibusque custodem. Quasi vero non illius conjurationis causa fuerit consulatus tuus, et idcirco respublica disjecta sit eo tempore, quia te custodem habebat.

1137. Sed, credo, illa te magis extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de republica consuluisti; cum tibi alius Tusculanam, alius Pompejanam villam aedificabat, alius domum emebat; qui vero nihil poterat, is aut domum tuam oppugnatum[4] venerat aut insidias senatui fecerat; denique de ejus scelere tibi compertum erat. Quae si tibi falsa objicio, redde rationem, quantum patrimonii[5] acceperis, quid tibi litibus

---

[1] Vide n. 249, a. [2] Vide n. 346, d. [3] Vide n. 324. [4] Vide n. 356, a. [5] Vide n. 35, a.

accreverit, qua ex pecunia domum pararis; quo sumptu Tusculanum et Pompejanum aedificaris. Aut si retices, cui dubium esse potest, quin[1] opulentiam istam ex sanguine civium pararis?

1138. Verum scilicet homo novus, Arpinas ex C. Marii familia, ejus virtutem imitatur; contemnit simultates hominum nobilium; populi Romani curam habet; neque terrore neque gratia commovetur. Imo vero homo nequam, supplex inimicis, amicis contumeliosus, fidus nemini, levissimus senator, mercenarius patronus; cujus nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces.

1139. Atque is tamen audet dicere: «o fortunatam natam, me consule, Romam». Te consule, fortunatam Romam?[2] imo vero infelicem et miseram, quae crudelissimam proscriptionem civium perpessa est; cum tu, perturbata republica, metu perculsos bonos parere crudelitati tuae cogebas; cum omnia judicia, omnes leges in tua libidine erant; cum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum[3] vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras.

1140. Et quasi parum esset, quod impune fecisti, etiam commemorando exprobras, dum «cedant, inquis, arma togae; concedat laurea linguae». Quasi vero togatus et non armatus ea, quae gloriaris, confeceris; atque inter te Sullamque dictatorem, praeter nomen imperii, quidquam interfuerit. Sed quid ego te audeam violare, quem Minerva bonas artes edocuit, Jupiter optimus maximus in consilium deorum admisit, Italia exsulem humeris suis deportavit?

1141. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos, Fabios, Scipiones superasti, quas tandem partes sequeris? quem amicum, quem inimicum habes? Cur, cui[4] in civitate fecisti insidias, modo ancillaris? Cur, quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiae faves? Cur, qui tibi ante optimates videbantur, eos nunc furiosos vocas? Vatinii causam agis; de Sextio male existimas; Bibulum petulanter laedis;

---

[1] Vide n. 212, c. [2] Vide n. 314, c. [3] Vide n. 64, a. [4] Vide n. 301, b.

laudas Caesarem, quem maxime odisti; aliud stans, aliud sedens de republica sentis; his maledicis, illos odisti, levissime transfuga; neque in hac neque in illa parte fidem habes.

(SALL.)

Iratus dictator magistro equitum.

1142. Papirius dictator a pullario admonitus Fabio magistro equitum denunciavit, ut sese loco teneret neu, se absente, cum hoste manum consereret. Fabius, occasione bene gerendae[1] rei inductus, acie cum Samnitibus conflixit; eaque[2] pugnae fortuna fuit, ut viginti millia hostium eo die caesa tradantur. Id factum dictator sic aegre tulit, ut, laetis aliis victoria parta, prae se ferret iram tristitiamque.

1143. Misso itaque repente senatu, se ex curia proripuit dictitans non Samnitium magis legiones quam majestatem dictatoriam a magistro equitum eversam, si illi impune spretum imperium fuisset. Itaque plenus minarum profectus in castra, quum maximis itineribus isset, non tamen praevenire famam adventus sui potuit. Praecucurrerant enim ab urbe, qui[3] nuntiarent dictatorem avidum poenae venire, alternis fere verbis T. Manlii factum laudantem.

1144. Fabius, concione extemplo advocata, obtestatus milites est, ut, qua virtute rempublicam ab infestis hostibus defendissent[4], eadem se, cujus ductu vicissent[4], ab impotenti crudelitate dictatoris tutarentur. Venire[5] amentem invidia, iratum virtuti alienae; furere, quod, se absente, respublica egregie gesta esset; malle, si mutare fortunam posset, apud Samnites quam apud Romanos victoriam esse. Imperium dictitare spretum, quasi non eadem mente pugnari vetuerit, qua pugnatum doleat. Quid illum facturum fuisse, adversa pugna, qui, victis hostibus, supplicium magistro equitum minetur? Si se simul cum gloria rei gestae exstinxisset, quidquid licuerit in magistro equitum, in militibus ausurum. Proinde

---

[1] Vide n. 127, b. [2] Vide n. 387. [3] Vide n. 352. [4] Vide n. 258, a.
[5] Vide n. 314, b.

adessent in sua causa omnium libertati. Postremo se vitam fortunasque suas illorum fidei virtutique permittere.

1145. Clamor e tota concione ortus, uti bonum animum haberet: neminem illi vim allaturum, salvis legionibus Romanis. Haud multo post dictator advenit classicoque concionem advocat. Tum silentio facto[1], praeco Q. Fabium, magistrum equitum, citavit. Qui simul[2] ex inferiore loco ad tribunal accessit, tum dictator, quaero, inquit, ex te, Q. Fabi, aequum censeas necne magistrum equitum dicto audientem esse dictatori? Simul illud interrogo, quae dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit, num ea magister equitum solutus potuerit esse? Tu, imperio meo spreto, incertis auspiciis, turbatis religionibus, adversus morem militarem disciplinamque majorum ausus es cum hoste confligere. Accede, lictor.

1146. Adversus quae singula cum respondere haud facile esset, et nunc quereretur eundem accusatorem et judicem esse, nunc purgaret se invicem atque ultro accusaret; Papirius, redintegrata ira, spoliari magistrum equitum ac virgas et secures expediri jussit. Fabius fidem militum implorans ad triarios tumultum jam in concione miscentes sese recepit. Qui prope tribunal sterant, orabant, ut parceret magistro equitum neu cum eo exercitum damnaret. Extrema concio increpabant inclementem dictatorem nec procul seditione aberant.

1147. Ne tribunal quidem satis quietum erat: legati circumstantes sellam orabant, ut rem in posterum diem differret et consilio tempus daret; satis castigatam adolescentiam Fabii esse; satis deformatam victoriam; ne Fabiae genti eam injungeret ignominiam! Quum parum precibus proficerent, intueri saevientem concionem jubebant. Irritatis militum animis, subdere ignem non esse prudentiae ejus. Postremo se jusjurandum dare paratos esse non videri e republica in Q. Fabium eo tempore animadverti[3].

1148. His vocibus magis acerbatus dictator jussit de tribunali descendere legatos; et, silentio nequidquam per praeconem

[1] Vide n. 379, b. [2] Vide n. 159, b. [3] Vide n. 313, a.

tentato, cum prae strepitu nec dictatoris nec apparitorum ejus vox audiretur, nox velut in proelio certamini finem fecit. Magister equitum jussus postero die adesse, quum omnes affirmarent infestius Papirium exarsurum ipsa contentione exacerbatum, clam e castris Romam profugit. Cumque pater M. Fabius, qui ter dictator fuerat, maxime quereretur apud patres vim dictatoris, repente ipse dictator infensus adest Q. Fabium sequutus[1] cum expedito equitatu et prehendi magistrum equitum jubet.

1149. Quum, deprecante universo senatu, perstaret incepto immitis animus dictatoris, tum pater M. Fabius: quandoquidem, inquit, apud te nec auctoritas senatus nec aetas mea nec virtus magistri equitum a te ipso nominati valet quidquam, tribunos plebis appello et provoco ad populum; eum tibi fugienti senatus judicium judicem fero, qui certe unus plus quam tua dictatura potest polletque.

1150. Ex curia in concionem itur[2]. Quo cum ascendisset dictator cum paucis et magister equitum cum agmine principum, non tam perpetua oratio quam altercatio exaudita est. Vicit aliquando strepitum vox et indignatio Fabii senis superbiam increpantis crudelitatemque Papirii. Se quoque dictatorem Romae fuisse, nec a se quemquam, ne plebis quidem, violatum; Papirium tamquam ex hostium ducibus sic ex Romano imperatore triumphum petere. Capite anquisitum ob rem male gestam de imperatore nullo ad eam diem fuisse. Quid tandem passurum filium suum, si exercitum amisisset? Quam conveniens esse propter Q. Fabium civitatem in laetitia, supplicationibus ac gratulationibus esse; eum, propter quem deum delubra pateant, arae sacrificiis fument, nudatum virgis lacerari in conspectu populi Romani? Quo id animo exercitum, qui ejus ductu vicisset, laturum?

1151. Haec simul jurgans, querens, deum hominumque fidem obtestans et complexus[3] filium multis cum lacrimis agebat. Stabat a partibus Fabii senatus majestas, favor populi,

---

[1] Vide n. 381, a. [2] Vide n. 249, a. [3] Vide n. 123.

tribunitium auxilium. Ex parte altera imperium populi Romani, disciplina rei militaris et dictatoris edictum. Manlium jactabatur posthabuisse filii caritatem publicae utilitati; nunc senes faciles diciplinae militaris eversae juventuti gratiam facere. Se tamen perstaturum in incepto; nec ei, qui adversus edictum, turbatis religionibus, pugnasset, quidquam ex justa poena remissurum. Optare se, ne potestas tribunitia, inviolata ipsa, violet intercessione sua Romanum imperium, neu populus jus dictaturae exstinguat.

1152. Stupentes tribunos liberavit onere consensus populi Romani ad preces conversus, ut sibi [1] poenam magistri equitum dictator remitteret. Tribuni quoque inclinatam rem in preces subsequuti, orare dictatorem insistunt, ut veniam errori humano, veniam adolescentiae Q. Fabii daret; satis eum poenarum dedisse [2]. Jam ipse adolescens, jam pater M. Fabius contentionis obliti procumbere [3] ad genua et iram deprecari dictatoris.

1153. Tum dictator, silentio facto, bene habet, inquit, Quirites: vicit disciplina militaris; vicit imperii majestas, quae in discrimine fuerunt. Non noxae eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit; sed noxae [4] damnatus donatur populo Romano et tribunitiae potestati, precarium, non justum auxilium ferenti. Vive, Q. Fabi, id facinus ausus, cujus tibi ne parens quidem, si hoc loco fuisset, quo ego sum, veniam dedisset; hic tibi dies documento [5] sit, ut bello ac pace pati legitima imperia possis. (Liv.)

Transitus Apennini.

1154. Transeuntem [6] Hannibalem Apenninum atrox adorta tempestas est. Vento mixtus imber quum ferretur in ipsa ora, procedere milites non sinebat et contra enitentes, vortice intortos, affligebat humi. Dein quum jam turbo spiritum intercluderet nec reciprocare animam sineret, aversi a vento

---

[1] Vide n. 76, a. [2] Vide n. 314, b. [3] Vide n. 314, a. [4] Vide n. 96, b.
[5] Vide n. 229, a. [6] Vide n. 375, a.

parumper milites consedere. Tum vero ingenti strepitu coelum tonare et inter horrendos fragores micare ignes.

1155. Capti auribus et oculis torpere omnes metu. Eo ipso, quo deprehensi sunt loco castra ponere necesse fuit; sed explicare tentoria non valebant, omnia rapiente[1] turbine. Et mox aqua levata vento, quum super montium juga concreta esset, tantum nivosae grandinis dejecit, ut, omnibus omissis, procumberent homines, tegminibus suis magis obruti quam tecti.

1156. Tantaque vis frigoris insequuta est, ut ex illa miserabili hominum jumentorumque strage, quum se quisque attollere vellet, diu nequiret, quia, torpentibus rigore nervis, vix flectere artus poterant. Deinde ut agitando[2] sese, recepere animos et raris locis ignis fieri est coeptus[3], ad alienam opem quisque inops tendere. Biduum eo loco velut obsessi mansere. Multi homines et jumenta, elephanti quoque ex his, qui proelio ad Treviam superfuerant, absumpti sunt. (Liv.)

Elephanti Rhodanum trajiciunt.

1157. Hannibal, ceteris copiis per otium trajectis, spernens jam Gallicos tumultus castra locat. Trajiciendi[4] elephantorum varia consilia fuisse credo. Quidam, congregatis ad ripam elephantis, tradunt ferocissimum ex iis, dum vado fugit, traxisse gregem. Ceterum magis constat ratibus trajectos. Ratem unam ducentos longam pedes a terra in amnem porrexerunt; quam, ne secunda aqua ferretur, pluribus retinaculis religatam pontis in modum humo injecta constraverunt, ut belluae audacter velut per solum ingrederentur.

1158. Altera ratis longa pedes centum huic copulata est; et cum elephanti per stabilem ratem, praegredientibus feminis, in minorem applicatam transgressi sunt, ex templo, resolutis, quibus leviter annexa erat, vinculis, ad alteram ripam ab actuariis navibus pertrahitur. Excidere saevientes quidam in flumen, sed pondere ipso stabiles, dejectis rectoribus, pedetentim in terram evasere. (Liv.)

---

[1] Vide n. 375, b. [2] Vide n. 383, a. [3] Vide n. 318, c. [4] Vide n. 130, a.

Oratio Catonis, ut sontes capitis damnentur.

1159. Saepe verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum multosque mortales ea causa adversos habeo: qui[1] mihi nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. Quae tametsi vos negligebatis, tamen respublica negligentiam opulentia tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis[2] an malis moribus vivamus; sed nostrane respublica an hostium futura sit. Hic mihi quisquam mansuetudinem nominat? Jam pridem vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo nominatur.

1160. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes in furibus aerarii; sanguinem nostrum ne largiantur; nec, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. Bene Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, falsa, credo, existimans, quae de inferis memorantur. Itaque censuit pecunias sontium publicandas[3], ipsos per municipia habendos. Vanum equidem hoc consilium censeo, si periculum ex illis metuit; sin[4] in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert mihi atque vobis timere.

1161. Quare, quum statuetis de iis, quos habetis in custodia, pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinae ac de omnibus conjuratis decernere: quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit: si paululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Conjuravere nobilissimi cives patriam incendere; Gallorum gentem, infestissimam nomini Romano, ad bellum arcessunt; dux hostium cum exercitu supra caput est; vos cunctamini etiamnunc, quid intra moenia, apprehensis hostibus, faciatis? Nae ista vobis mansuetudo in miseriam vertet.

---

[1] Vide n. 373. [2] Vide n. 333, b. [3] Vide n. 339, a. [4] Vide n. 365.

1162. Inertia animi alius alium exspectantes cunctamini[1] videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maximis saepe periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt: ubi secordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores. Apud majores nostros T. Manlius filium suum, quod is contra imperium pugnaverat, necari jussit; atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudelissimis parricidis, quid statuatis, cunctamini?

1163. Videlicet vita eorum cetera obstat, ne[2] sitis in puniendo vehementes. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si diis aut hominibus umquam pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Caepario oquar? quibus si quidquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica habuissent.

1164. Postremo circumspicite, P. C., ut undique circumventi simus. Catilina cum exercitu fauces jam nostras premit: alii intra moenia sunt hostes. Quare ita ego censeo: cum scelerati cives indicio Allobrogum convicti confessique sint caedem, incendia in cives patriamque paravisse, supplicium de iis more majorum sumendum esse. (SALL.)

Res militaris praestat juris prudentiae.

1165. Qui potest dubitari, quin[3] ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis rei militaris quam juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille, ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores, ille, ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet et scit, ut hostium copiae, tu, ut aquae pluviae arceantur; ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.

---

[1] Vide n. 29, c. [2] Vide n. 350, b. [3] Vide n. 212, c.

1166. Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus praestat omnibus. Haec nomen populo Romano, haec huic urbi aeternam gloriam peperit; haec orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Omnes urbanae res, omnia haec nostra praeclara studia et haec forensis laus et industria latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis; simul atque[1] increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt. (Cic.)

Oratio Marii ad Quirites.

1167. Non me fallit, Quirites, quantum cum maximo beneficio vestro negotii sustineam: bellum parare, simul et aerario parcere; cogere ad militiam, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare, et ea agere inter avidos et factiosos opinione asperius est. Praeterea alii si deliquere, vetus nobilitas, cognatorum opes, multae clientelae praesidio[2] adsunt: mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est virtute defendam; nam alia infirma sunt. Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conversa esse; aequos bonosque mihi favere; nobilitatem locum invadendi me quaerere: quo mihi acrius adnitendum est, ut neque[3] vos capiamini et[3] illi frustra sint.

1168. Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis; quam rem nobilitas aegerrime tulit. Quaeso, reputate cum animis vestris, num quem[4] ex illo globo nobilitatis placeat mittere ad hoc negotium, hominem veteris prosapiae, at nullius stipendii, ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet sumatque aliquem e populo monitorem officii. Comparate cum illorum superbia me hominem novum: quae illi audire et legere solent, ea ego aut vidi aut gessi; quae illi litteris, ego militando didici.

1169. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam. Quodsi jure me despiciunt, faciant idem majoribus suis, quibus ut mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant labori, innocentiae, periculis meis, per quae[5]

---

[1] Vide n. 159, a. [2] Vide n. 229, a. [3] Vide n. 204, f. [4] Vide n. 209, b.
[5] Vide n. 20, b.

illum cepi. Verum homines superbi ita aetatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Nae illi falluntur, qui diversissimas res pariter exspectant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. Equidem non ignoro, si jam respondere velint, abunde illis facundam orationem fore; sed me quidem nulla oratio laedere potest, quippe vera, necesse est, bene praedicet; falsam vita mea revincit.

1170. Non possum fidei causa imagines majorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, vexilla, phaleras, praeterea cicatrices adverso corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas non haereditate relicta, ut illa illis, sed quaesita laboribus periculisque. Non sunt composita verba mea; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, ut facta turpia oratione tegant. Neque litteras Graecas didici; parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt.

1171. Sordidum me et incultis moribus ajunt, quia parum scite convivium exorno neque pluris pretii[1] coquum quam villicum habeo: quae mihi libet confiteri; nam ex parente meo ita accepi munditias mulieribus, viris laborem convenire; arma, non supellectilem decori[2] esse. Quin ergo, ament, potent; ubi adolescentiam habuere, senectutem agant dediti ventri; sudorem et pulverem relinquant nobis. Verum non ita est; nam, ubi se omnibus flagitiis dedecoravere, bonorum praemia ereptum eunt. (SALL.)

Conjuratio de recipiendis regibus.

1172. Pulsis regibus[3], erant in Romana juventute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, sodales Tarquiniorum, assueti more regio vivere. Libertatem aliorum in suam vertisse servitutem inter se querebantur. Regem hominem esse[4], a quo impetres, quod cupias seu jure seu injuria; esse gratiae locum; leges inexorabiles esse, salubriores inopi quam potenti.

---

[1] Vide n. 222, c. [2] Vide n. 229, a. [3] Vide n. 379, b. [4] Vide n. 314, b.

1173. Ita aegris animis, legati ab regibus superveniunt bona repetentes. Eorum verba postquam in senatu audita sunt, per aliquot dies ea consultatio tenuit: ne non reddita belli causa essent; reddita belli adjumentum.

1174. Interea legati adolescentium animos tentant et, a quibus placide accipiuntur, iis ab Tarquiniis de[1] recipiendis regibus litteras tradunt. Vitelliis Aquilliisque fratribus primo commissa res fuit. Interim vicit in senatu sententia, quae censebat reddenda[2] bona, cumque eam causam morae haberent legati, quod spatium ad vehicula comparanda sumerent, quibus regum asportarent res, omne id tempus cum conjuratis consultando absumunt evincuntque, ut litterae sibi[3] ad Tarquinios darentur. Datae litterae, ut pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt; nam, quum pridie quam[4] legati ad Tarquinios proficiscerentur, coenatum apud Vitellios esset, conjuratique, remotis arbitris, multa inter se de novo consilio egissent, sermonem eorum unus ex servis excepit, qui, postquam datas litteras sensit, rem ad consules detulit.

1175. Consules sine tumultu rem omnem oppressere; litterarum in primis habita cura ne intercidierent. Proditoribus extemplo in vincula conjectis, de legatis paulum addubitatum est; et quamquam visi sunt commisisse, ut hostium loco haberentur, jus tamen gentium valuit. De bonis regiis, quae reddi ante censuerant, res integra refertur ad patres: illi victi ira vetuere reddi aut in publicum redigi, sed plebi diripienda[5] dari censuerunt. (Liv.)

Oratio Catilinae in acie.

1176. Scitis, milites, secordia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc quo in loco res nostrae sint, juxta[6] mecum omnes intelligitis: exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant; diutius in

---

[1] Vide n. 170, d. [2] Vide n. 339, a, [3] Vide n. 76, a. [4] Vide n. 158.
[5] Vide n. 354, b. [6] Vide n. 153.

his locis esse frumenti egestas prohibet; quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, ut forti animo sitis et, quum proelium inibitis, memineritis vos divitias, gloriam, libertatem in dextris portare. Si vincimus, commeatus abunde erunt, coloniae atque municipia patebunt; sin[1] metu cesserimus, eadem illa advorsa fient; neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint.

1177. Non eadem nobis atque[2] illis necessitas impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum: quo audacius aggredimini memores pristinae virtutis; nam in fuga salutem sperare, ea[3] vero dementia est; semper in proelio his maximum est periculum, qui maxime timent; audacia pro muro habetur. Quum vos considero, milites, magna me spes victoriae tenet: animus, aetas, virtus vestra hortantur; praeterea necessitas, quae etiam timidos fortes facit. Quodsi virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete inulti animum amittatis; neu capti sicuti pecora trucidemini, sed virorum more pugnantes cruentam victoriam hostibus relinquite. (SALL.)

Hannibal petit pacem.

1178. Si ita fato datum erat, ut, qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is[4] ultro ad pacem petendam venirem; laetor te, P. Scipio, mihi sorte potissimum datum, a quo peterem. Tibi quoque inter multa egregia hoc fuerit, Hannibalem, cui de tot Romanis ducibus victoriam dii dedissent, tibi cessisse; teque huic bello, vestris prius quam nostris cladibus insigni, finem imposuisse.

1179. Optimum quidem fuerat[5] eam patribus nostris mentem ab diis datam esse, ut et vos Italiae imperio, et nos Africae contenti essemus; neque enim vobis Sicilia atque Sardinia

---

[1] Vide n. 365. [2] Vide n. 68, b. [3] Vide n. 13, c. [4] Vide n. 70.
[5] Vide n. 258, b.

satis digna pretia sunt pro tot classibus et exercitibus amissis. Sed praeterita magis reprehendi possunt quam corrigi.

1180. Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus; nec in Italia solum vobis bellum esset, sed et nobis in Africa; nam et vos in vestris prope moenibus signa armatorum hostium vidistis, et nos ab Carthagine fremitum Romanorum exaudiimus.

1181. Quod ad me attinet, jam aetas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, jam secundae res, jam adversae ita erudierunt, ut rationem sequi quam fortunam malim. Tuam et adolescentiam et perpetuam felicitatem, ferocia utraque[1], metuo. Non temere incerta casuum[2] reputat, quem fortuna numquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenum et ad Cannas, id tu hodie es. (Liv.)

Eloquentia Ciceronis.

1182. M. Tullius cum se ad imitationem Graecorum contulisset, effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, elegantiam Isocratis. Nec solum ex aliorum imitatione, sed ex se ipso felicissima ingenii ubertate plurimas virtutes extulit. Non enim pluvias, ut ait Pindarus, colligit aquas, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiae genitus, in quo vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta umquam facilitas fuit in persuadendo, ut ipsa illa, quae extorquet, impetrare credatur? et cum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi?

1183. Jam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat, nec advocati[3] modo studium, sed testis etiam et judicis afferat fidem. Atque haec omnia, quae vix singula quisquam intentissimo studio consequi potest, fluunt Tullio illaborata. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare Cicero in judiciis dictus est[4]. Apud posteros vero est consequutus, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiae nomen

---

[1] Vide n. 309, b. [2] Vide n. 35, b. [3] Vide n. 222, e. [4] Vide n. 315, c.

habeatur. Hunc igitur spectemus; hoc propositum sit nobis exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. (QUINT.)

Socratis de sua virtute oratio.

1184. Cum aliquis genibus per viam repens ululat aut linteatus senex medio lucernam die praeferens conclamat iratum aliquem deorum, concurritis ad audiendum[1] et divinum esse eum affirmatis. Ecce Socrates ex illo carcere, quem intrando[2] honestiorem curia reddidit, proclamat: Quis iste furor infamare[3] virtutes et bonos malis sermonibus violare? Si exercere tetram licentiam vultis, alter alterum incessite; nam, cum in coelum insanitis, quid facitis, nisi operam perditis?[4] Praebui ego aliquando Aristophani materiam jocorum: tota illa perditorum poëtarum manus in me venenatos sales effuderunt.

1185. Illustrata est virtus mea per ea ipsa, per quae petebatur; nec ulli magis intellexerunt quanta sit, quam qui eam lacessendo senserunt. Duritia enim silicis nulli magis quam ferientibus nota est. Praebeo me non aliter quam rupes in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare. Assilite, facite impetum; ferendo vos vincam. In ea, quae firma et insuperabilia sunt, quidquid incurrit, malo suo vim exercet. (SEN.)

De loco fundi.

1186. Porcius Cato censebat in emendo agro praecipue duo esse inspicienda: salubritatem coeli et ubertatem loci; quorum[5] si alterutrum deesset, ac nihilominus incolere quis vellet, pro amente esse habendum. Neminem enim sanum facere[6] sumptus in cultura agri sterilis aut pestilentis, qui sit mortem allaturus domino. Post haec addebat illa non minus intuenda: viam, aquam et vicinum. Multum enim conferre agris iter commodum; primum quod nihil est utilius domo

[1] Vide n. 355, d. [2] Vide n. 383, a. [3] Vide n. 264, a. [4] Vide n. 368, a.
[5] Vide n. 20, a. [6] Vide n. 314, b.

quam praesentia domini, qui libentius commeaturus sit, si vexationem viae non reformidet; deinde quod minoris[1] convehantur utensilia eo, quo facili nisu perveniatur. Nec nihil esse parvo[2] vehi, si conductis jumentis iter facias, quod magis expedit quam tueri propria.

1187. De bonitate aquae ita omnibus clarum est, ut pluribus non sit disserendum. Quis enim dubitat eam maxime probandam esse, sine qua nemo vitam prorogat? De vicini commodo non est in manu, quem mors aliaeque causae mutant. Sed malam facit sibi fortunam, qui nequam vicinum suis nummis parat, quum a primis cunabulis audisse potuerit: *οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοι τ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.* (COLUM.)

De aqua.

1188. Sit intra villam vel foris fons perennis, lignatio pabulumque in proximo. Si deerit fluens unda, putealis quaeratur in vicino, quae non sit haustus[3] profundi, non amari saporis aut salsi. Haec si deficiet, cisternae hominibus, piscinae pecoribus instruantur, colligaturque aqua pluvialis, quae salubritati est accommodata. Sed ea sic habetur eximia, si fictilibus tubis in contectam cisternam deducatur: huic proxima fluens aqua e montibus oriunda, si per saxa praeceps devolvitur; tertia putealis; deterrima palustris, quae pigro lapsu repit; pestilens, quae in palude semper consistit.

1189. Medici stagnantes aquas merito damnant: censent meliores, quae profluunt; cursu enim percursuque extenuari[4] atque proficere. Qui cisternas probant, hanc afferunt causam, quod levissima sit imbrium aqua, quae subire potuerit atque pendere in aëre. Ideo et nives praeferunt imbribus et nivibus glaciem, quae sit aqua et nive multo levior.

1190. Ceterum ad aestatum temperandos calores et amoenitatem locorum plurimum conferunt salientes rivi, quos, si conditio loci patietur, perducendos[5] in villam censeo. Sin[6]

[1] Vide n. 225, a. [2] Vide n. 225, c. [3] Vide n. 222, c. [4] Vide n. 314, b.
[5] Vide n. 339, a. [6] Vide n. 365.

summotus longius a collibus erit amnis et editior ipse situs permittet superponere villam profluenti, cavendum erit, ut[1] a tergo potius quam prae se flumen habeat, et frons aedificii sit adversa auris, quae vaporatas ex aqua nebulas dispellant. (COLUM. ET PLIN.)

Quomodo arandum.

1191. Pingues campi, qui diutius continent aquam, proscindendi sunt anni tempore jam incalescente, cum omnes herbas ediderint, neque adhuc earum semina maturuerint. Tam frequentibus sulcis arandi sunt, ut vix dignoscatur in utram partem vomer actus sit; quoniam sic omnes radices herbarum perruptae necantur.

1192. Sed compluribus iterationibus sic resolvatur in pulverem[2] vervactum oportet, ut vel nullam vel exiguam desideret occationem, cum seminaverimus. Nam veteres Romani dixerunt male subactum esse agrum, qui, satis frugibus[3], occandus sit. Is ut exploretur an recte aratus sit, pertica transversis sulcis inseritur; ea si aequaliter ac sine offensione penetrat, totum solum deinceps motum est; sin[4] subeunti durior aliqua pars obsistit, crudum vervactum esse demonstrat.

1193. Quandoque arabitur, observabimus, ne lutosus ager tractetur sive exiguis nimbis semimadidus, quam terram rustici cariosam appellant: ea est quum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefecit, inferiorem non attigit. Nam quae limosa versantur arva, non sunt habilia sementi aut occationi aut sarritioni. At rursus quae cariosa subacta sunt, continuo triennio sterilitate afficiuntur. Medium igitur temperamentum maxime sequamur in[5] arandis agris, ut neque succo careant nec abundent uligine. (COLUM.)

Domitura buculi.

1194. Cum buculos laqueis ad cornua capulaveris, perducito ad stabulum et ad stipites religato ita, ut exiguum laxa-

---

[1] Vide n. 348, b. [2] Vide n. 178, c. [3] Vide n. 379, b. [4] Vide n. 365. [5] Vide n. 128, e.

menti habeant distentque inter se aliquanto spatio, ne in colluctatione alter alteri noceat. Si nimis asperi erunt, patere unum diem[1] desaeviant. Simul atque iras contuderint, mane producantur et sit, qui eos a tergo retinaculis contineat et armatus clava salignea modicis ictibus subinde impetus eorum coërceat: tum docebis per mille passuum composite ambulare.

1195. Ad alligatos jam buculos accedes placide et nares perfricabis, ut hominem discant odorari. Mox etiam convenit tergora tractare et respergere mero, quo buculi familiares fiant bubulco: idque cum fit, a latere domitor stare debet, ne[2] calce contingi possit. Post diductis malis educito linguam totumque palatum sale defricato, libralesque offas tinctas adipis liquamine in gulam demittito; nam per haec blandimenta triduo fere mansuescunt jugumque quarto die accipiunt.

1196. Sic perdomiti ad aratrum instituuntur in subacto agro, ne statim difficultatem operis reformident neve adhuc tenera colla terrae proscissione contundant. Si aderit veteranum pecus, expeditior ratio domandi est. Nam ubi plostro juvencum consuescimus, ex domitis bubus valentissimum eundemque placidissimum cum indomito jungimus; is et procurrentem retrahit et cunctantem producit et prosilientem inhibet et decumbere conantem sublevat.

1197. Qui post domituram in sulco decumbit, eum non saevitia, ne pervicax fiat, sed ratione censeo emendandum[3]. Fame et siti cubitorem bovem castigabis; nam eum vehementius afficiunt naturalia desideria quam plagae. Itaque si bos decubuit, utile est pedes ejus sic vinculis obligari, ne aut insistere aut progredi aut pasci possit: quo facto inedia et siti compulsus deponit ignaviam. (COLUM.)

Moritur uxor Darii.

1198. Iter facienti[4] Alexandro unus e captivis, qui Darii uxorem comitabantur, deficere eam nuntiat et vix spiritum ducere. Itineris labore animique aegritudine fatigata inter

[1] Vide n. 283, b. [2] Vide n. 353, a. [3] Vide n. 339, a. [4] Vide n. 375, a.

virginum filiarum manus collapsa erat, deinde exstincta. Rex haud secus quam si parentis suae mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus, lacrymisque obortis, quales Darius profudisset, in tabernaculum venit, ubi erat corpus reginae. Hic vero renovatus est moeror, ut prostratam humi vidit. Crederes Alexandrum inter suos necessarios flere: cibo certe abstinuit omnemque funeri honorem Persarum more servavit.

1199. Interea e captivis, qui circa reginam erant, Tyriotes elapsus venit in regium tabernaculum; quem ut conspexit Darius: «Vultus, inquit, tuus nescio quod ingens malum praefert. Cave miseri hominis auribus parcas. Numquid, quod loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es mihi?» Ad haec Tyriotes: «Istud quidem procul abest, inquit: quantus reginis honos haberi potest, tuis a victore servatus est; sed uxor tua paulo ante excessit e vita.» Tum vero non dubitavit Darius, quin interfecta esset, quia nequivisset[1] contumeliam pati.

1200. Tyriotes affirmare[2] per deos patrios nihil in eam gravius esse consultum; ingemuisse etiam Alexandrum morti et non parcius flevisse, quam ipse lacrymaretur; quaestioni corpus offerre, deos testes invocare caste sancteque habitam esse reginam. Tandem, ut fides facta est, rex capite velato diu flevit; manantibusque adhuc lacrymis ad coelum manus tetendit et «Dii patrii, inquit, si de me jam transactum est regnum, ne alius Asiae rex sit quam iste tam justus hostis, tam misericors victor.» (CURT.)

Descriptio Babylonis.

1201. Babylonem Semiramis condidit vel, ut alii credidere, Belus; cujus regia ostenditur. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus ea[3] crassitudine est, ut supra eum quadrigae commeare atque inter se occurrere sine periculo dicantur. Altitudo muri centum cubitorum; turres denis pedibus[4] quam murus altiores. Totius operis ambitus tercentum sexaginta octo stadia complectitur. Aedificia non sunt admota

[1] Vide n. 358, c. [2] Vide n. 314, a. [3] Vide n. 387. [4] Vide n. 243, b.

muris, sed fere spatium unius jugeri absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt, nec omnia contigua sunt.

1202. Per nonaginta stadia habitatur; cetera serunt[1]; ut, si vis extrema ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. Euphrates interfluit magnaeque molis crepidinibus coërcetur: quae opera cavernae depressae circumveniunt ad excipiendum impetum fluminis, quod, ubi crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque, qui exciperent. Urbem jungit pons lapideus opere mirabili; quippe in alto limo, quem Euphrates vehit, vix reperire fuit solum fulciendae[2] moli.

1203. Super arce pensiles horti sunt, multarum arborum umbra amoeni. Saxeae pilae totum onus sustinent, super quas lapide quadrato solum stratum est patiens terrae, quam altam injiciunt, et humoris, quo rigant terras: adeoque validas arborum sustinent moles, ut stipites earum sint crassi octo cubitos[3] inque pedes quinquaginta emineant et frugiferae aeque sint, ac si terra sua alerentur. Syriae regem hoc opus esse molitum memoriae proditum est, amore conjugis victum, quae desiderio nemorum virum compulit naturae genium imitari. (CURT.)

Periculum lembi in amne.

1204. Alexander navigio circumvectus est arcem[4] Sobiorum: quippe tria flumina Indiae praeter Gangem maxima munimento arcis applicant undas. A septentrione Indus alluit, a meridie Acesines Hydaspi confunditur. Ceterum amnium coitus maritimis similes fluctus movet, multoque limo iter, qua meant navigia, in tenuem alveum cogitur. Itaque cum crebri fluctus se inveherent et navium hinc proras, hinc latera pulsarent, subducere nautae coeperunt. Sed ministeria eorum hinc metu, hinc praerapida celeritate fluminum occupantur.

1205. In oculis omnium duo majora navigia submersa sunt; leviora, quum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen

[1] Vide n. 298, b. [2] Vide n. 355, c. [3] Vide n. 288, b. [4] Vide n. 248, c.

innoxia expulsa sunt. Inde rex in rapidissimos vortices incidit, quibus intorta navis obliqua et gubernaculi impatiens agebatur. Jam vestem detraxerat corpori projecturus [1] semet in flumen, amicique, ut exciperent eum, haud procul nabant, apparebatque anceps periculum tam nataturi quam navigare perseverantis.

1206. Ergo ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana esse poterat, admota est, ut fluctus, qui se invehebant, everberarentur. Findi crederes undas et retro gurgites cedere; quibus tandem navis erepta non ripae applicatur, sed in proximum vadum, salvo rege, illiditur. (CURT.)

Descriptio duelli.

1207. Intererat regio epulo Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis, et Horratas Macedo, qui jam temulentus exprobrare Dioxippo coepit et postulare ut, si vir esset, secum [2] postridie ferro decerneret: regem de virtute judicaturum. A Dioxippo militarem contemnente ferociam accepta conditio est. Postero die rex, quia exposcentes deterrere non poterat, destinata exsequi passus est.

1208. Ingens Graecorum militum, qui Dioxippo studebant, convenerat multitudo. Macedo justa arma sumpserat: aereo clypeo hastaque laevam armaverat, lancea dextram, gladio etiam latus cinxerat velut cum pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens ac serto redimitus laeva Puniceum amiculum, dextra nodosum stipitem praeferebat. Ea ipsa res omnium animos exspectatione suspenderat: quippe armato congredi nudum dementia, non temeritas videbatur.

1209. Igitur Macedo haud dubius interfici adversarium eminus posse, lancea memisit; quam Dioxippus quum vitasset corporis declinatione, in dextram assiluit et stipite mediam hastam fregit. Amisso utroque telo, Macedo gladium coeperat stringere, sed Dioxippus hominem complexu occupans arietavit

[1] Vide n. 354, a. [2] Vide n. 76, a.

in terram; ereptoque gladio pedem super cervicem jacentis imposuit, elisurus stipite adversarium, ni prohibitus esset a rege. (CURT.)

Caesar renuit pugnare.

1210. Erat occasio bene gerendae[1] rei, neque Caesarem fugiebat perterritos hostes impetum suorum sustinere non posse, praesertim circumdatos equitatu, cum in loco aequo et aperto confligeretur. Concurrebant centuriones tribunique militum: ne dubitaret proelium committere; omnium esse militum paratissimos animos. Afranianos contra multis rebus sui timoris signa dedisse: quod suis non subvenissent; quod de colle non decederent; vix quod equitum incursus sustinerent.

1211. Caesar in eam spem venerat se[2] sine pugna et sine vulnere suorum rem conficere posse; quod re frumentaria adversarios interclusisset. Cur, etiam secundo proelio, aliquos ex suis amitteret?[3] Cur vulnerari pateretur optime meritos de se cives? Cur denique fortunam periclitaretur, praesertim cum non minus esset imperatoris, consilio superare quam gladio?

1212. Hoc consilium Caesaris a plerisque non probabatur. Milites vero palam inter se loquebantur: quoniam talis occasio victoriae dimitteretur, etiam, cum vellet Caesar, se[2] non esse pugnaturos. Ille in sua sententia perseverat; ac postero die duces adversariorum perturbati, quod omnem rei frumentariae spem amiserant, de reliquis rebus consultare coeperunt. (CAES.)

Sumptus Caligulae.

1213. Caligula nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit. Commentus est novum balinearum usum, ubi calidis frigidisque unguentis lavaretur. Invenit incredibile genus coenarum, in quibus margaritas aceto liquefactas sorberet et convivis obsonia ex auro apponeret. Fabricavit deceres Liburnias, gemmatis puppibus[4], versicoloribus velis amplisque

---

[1] Vide n. 127, b. [2] Vide n. 75, a. [3] Vide n. 256, f. [4] Vide n. 33, b.

tricliniis, quibus[1] discumbens inter choros ac symphonias littora Campaniae peragraret.

1214. In exstructionibus villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Jactae itaque moles infesto mari, et excissae rupes durissimi silicis[2], et campi montibus aequati inductis aggeribus, et complanata fossuris montium juga incredibili celeritate, quum morae culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, patrimonium Tiberii anno vertente absumpsit.

1215. Exhaustus igitur atque egens ad rapinas convertit animum vario calumniarum et auctionum genere. Negabat jure civitatem Romanam usurpare eos, qui a majoribus accepissent; testamenta primipilarium, qui se[3] heredem non reliquissent, ut ingrata rescidit. Quo metu injecto cum jam ab ignotis inter familiares palam heres nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent, et multis venenatas macteas misit. (SUET.)

Hannibal deludit Romanos.

1216. Quum Romani aequiori loco substitissent, successit Hannibal ad lacessendum hostem. Sed ejus agmen includi visum est, via ad Cassilium obsessa. Nam cum Romanis Capua commeatus facile subveheret, Poenus inter Formiana saxa stagnaque horrida situ hibernaturus erat. Quare Hannibal, quem non fefellit suis se artibus peti, furtim evadere paravit, ludibrium oculorum commentus specie terribile.

1217. Principio enim noctis, necubi Romanus inclusum vallibus Poenorum agmen aggrederetur, fallax consilium capit hujusmodi. Faces undique ex agris collectas fascesque sarmentorum praeligari jubet cornibus boum, quos domitos indomitosque ad[4] duo ferme millia inter agrestem praedam agebat. Hasdrubali negotium dat, ut primis tenebris id armentum, accensis cornibus, ad montes agat; maxime, si posset, super

[1] Vide n. 352, a. [2] Vide n. 222, b. [3] Vide n. 77, b. [4] Vide n. 163, b.

saltus ab hoste insessos. Post solis occasum silentio mota castra, bovesque ante signa acti.

1218. Ubi ad radices montium viasque angustas ventum est, signum extemplo datur, ut, accensis cornibus, armenta in adversos concitentur montes. Et metus ipse relucentis flammae ex capite et calor jam ad ima cornuum[1] descendens velut stimulatos furore agebat juvencos. Quorum discursu, haud secus quam silvis accensis, omnia circum virgulta micare; capitumque irrita quassatio hominum passim discurrentium speciem praebere.

1219. Qui ad transitum saltus obsidendum locati erant, ubi ignes super se conspexerunt, circumventos se esse rati, praesidio excessere, qua minime densae micabant flammae. Atque ut humana apparuit fraus, insidias rati concitant se in fugam. Interea toto agmine Hannibal transducto per saltum et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro Allifano incolumis castra posuit. (Liv.)

Occiditur filia Hieronis cum neptibus.

1220. Andranodoro Themistoque, quod tyrannidem affectarant, occisis, ne uxoribus quidem eorum parsum est. Ortus undique clamor nullam stirpem regum superesse oportere. Haec natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur.

1221. Heraclea erat filia Hieronis, quae, cum ad se[2] quoque venire sicarios praescisset, in sacrarium ad Penates confugit cum duabus filiabus virginibus. Hic effusa in preces orare[3], ne se innoxiam invidia generis conflagrare sinerent. Nihil se ex regno praeter exsilium viri habere[4]. Quod cuiquam periculum ab se vidua puellisque in orbitate degentibus? Quodsi invisum genus est, ablegarent se procul asportarique Alexandriam juberent.

1222. Tum, omissis pro se precibus, puellis ut saltem parcerent orare institit, a qua aetate etiam hostes iratos abstinere[4],

---

[1] Vide n. 35, b. [2] Vide n. 76, a. [3] Vide n. 314, a. [4] Vide n. 314, b.

ne tyrannos ulciscendo, quae odissent scelera, imitarentur. Inter haec abstractam[1] e penetralibus jugulant. In virgines deinde respersas materno cruore impetum faciunt. Quae, alienata mente, simul luctu metuque se eo cursu ex sacrario proripuerunt, ut, si effugium patuisset in publicum, impleturae urbem tumultu fuerint.

1223. Tum quoque haud procul aedibus ex armatorum manibus salvae aliquoties evaserunt: tandem vulneribus confectae, quum omnia replessent sanguine, exanimes corruerunt. Caedem per se miserabilem miserabiliorem casus fecit; quod paulo post nuntius venit, mutatis repente ad misericordiam animis, ne interficerentur. (Liv.)

Convivium litteratum.

1224. Adolescens ex Asia de equestri loco, laetae indolis, coenam dabat amicis in rusculo celebrandae[2] lucis annuae. Venerat nobiscum ad eam coenam Julianus rhetor, florentis homo facundiae veterumque peritus litterarum. Is, ubi coenandi finis factus est, cupivit exhiberi, quos habebat scitissimos, pueros, qui[3] canerent.

1225. Posteaquam introducti pueri puellaeque, Anacreontica et Sapphica recentium poëtarum cecinerunt; Graeci complures, qui in convivio intererant, homines amoeni et nostras litteras[4] haud indocti, Julianum lacessere adorti sunt tamquam barbarum prorsus et agrestem, qui ortus Hispania foret et linguam doceret voluptatis expertem.

1226. Tunc ille, pro lingua patria tamquam pro aris et focis indignabundus, cedere, inquit, vobis debui, ut in cantilenis anteiretis sicut in voluptatibus cultus atque victus; sed ne nomen Latinum condemnetis, permittite mihi, quaeso, operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse ajunt. Tum resupinus capite[5] convelatus, voce perquam

[1] Vide n. 379, a. [2] Vide n. 355, b. [3] Vide n. 352, a. [4] Vide n. 123. [5] Vide n. 234.

suavi versus cecinit Valerii, veteris poëtae, quibus venustius, limatius, pressius nihil vel Graecum vel Latinum reperiri arbitror posse. (GELL.)

Cerva Sertorii.

1227. Sertorius, acri vir ingenio et peritus regendi[1] exercitus, ad milites mentiebatur in temporibus difficillimis, si mendacium profuturum esset. Litteras compositas pro veris recitabat, somnia simulabat et falsas religiones objiciebat, siquid eum istae nugae apud militem adjuvarent.

1228. Illud adeo Sertorii nobile est: Cum cerva eximiae pulchritudinis et vivacissimae celeritatis ei a quodam Lusitano dono[2] data esset, eam Sertorius oblatam sibi divinitus et instinctam Dianae numine persuadere militibus instituit. Ac siquid durius imperandum militibus foret, a cerva sese monitum praedicabat. Id cum dixerat, universi tamquam deo libentes parebant.

1229. Cerva adventu hostium quondam territa fugit atque in palude proxima delituit. Neque multis post diebus, cum periisse credita esset[3], inventa Sertorio nuntiatur. Tum eum, qui nuntiaverat, jussit tacere cervamque postero die in eum locum, ubi ipse cum amicis sederet, repente immittere.

1230. Itaque, admissis postridie amicis, visam sibi ait in quiete cervam, quae perierat, ad se reverti et, ut prius consueverat, quod opus esset facto, praedicare. Emissa igitur cerva, cum in Sertorii cubiculum introrupisset, clamor omnium factus et orta admiratio est. Quae barbarorum credulitas Sertorio in dubiis rebus magno usui fuit. (GELL.)

Mensura agri.

1231. Agri quadrati mensura facillima est; nam, cum sit undique pedum totidem, multiplicantur in se duo latera et, quae summa ex multiplicatione effecta est, eam esse dicemus quadratorum pedum. Si locus erit quoquo versus centum pedum, du-

[1] Vide n. 128, c. [2] Vide n. 229, a. [3] Vide n. 316.

cemus centies centenos, et fient decem millia; quos pedes quadratos dicetur habere locus[1] ille seu jugeri trientem et sextulam.

1232. At si longior fuerit quam latior[2], ut exempli causa jugeri forma pedes habeat longitudinis ducentos quadraginta, latitudinis centum viginti; latitudinis pedes cum longitudinis sic multiplicabis: centies vicies duceni quadrageni fiunt viginti octo millia et octingenti. Sin autem cuneatus ager fuerit, ut puta longus pedes centum, latus ex una parte pedes viginti, ex altera decem, tunc utraque latitudo composita efficiet pedes triginta; hujus pars dimidia est quindecim, quam cum longitudine multiplicando efficies pedes mille et quingentos. Hos igitur in eo cuneo quadratos pedes esse dicemus, quae pars erit jugeri semuncia et scripula tria. (COLUM.)

De messe.

1233. Messis proprio nomine dicitur in iis, quae metuntur, maxime in frumento. Tria genera sunt messionis; unum, ut in Umbria, ubi falce secundum terram succidunt[3] stramentum et manipulum, ut quemque subsecuerunt, ponunt in terra. Ubi eos fecerunt multos, iterum percensent ac de singulis secant inter spicas et stramentum: spicas conjiciunt in corbem atque in arcam mittunt; stramentum relinquunt in segete, unde tollantur in acervum.

1234. Altero modo metunt ut in Piceno, ubi ligneum habent batillum, in quo sit extremo serrula ferrea: haec, cum comprehendit fascem spicarum, desecat et stramenta stantia in segete relinquit, ut postea subsecentur. Tertio modo metitur, ut sub urbe Roma et locis plerisque, ut stramentum medium subsecent, quod manu sinistra summum prehendunt. (VARRO.)

De olea.

1235. Oleam, quam manu tangere possis e terra aut scalis, legere oportet potius quam quatere; quod ea, quae

[1] Vide n. 315, c. [2] Vide n. 56. [3] Vide n. 298, b.

vapulavit, macescit nec dat tantum olei. Melior, quae digitis nudis legitur quam quae digitalibus: durities enim eorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit. Quae manu tangi non poterunt, ita quati debent, ut arundine potius quam pertica feriantur; gravior enim plaga medicum quaerit. Olea ut uva per idem bivium redit in villam: alia ad cibum eligitur; alia, ut eliquescat; ac non solum intus corpus unguat, sed etiam extrinsecus; itaque dominum et in balneas et in gymnasium sequitur.

1236. Haec, de qua fit oleum, congeri solet acervatim per dies singulos in tabulata, uti ibi mediocriter fracescat ac primus quisque acervus demittatur per vasa olearia in trapetas, seu molas. Amurcae utilitatem quod ignorant multi, videas[1] eam e torculis fluere in agros, quos non solum denigrat, sed etiam steriles facit. Amurca cum ad multas res tum ad agriculturam pertinet, quod circum arborum radices infundi solet et ubicumque agro herba nocet. (VARR.)

Alexander veneno exstinguitur.

1237. Revertenti[2] Alexandro Babylonem Chaldaei vates occurrerunt, monentes, ne Babylonem ingrederetur; profectionem enim ejus per id tempus vitae periculum ei portendere. Quibus spretis, quo destinaverat, ire pergit; nuntiabatur enim ei legatos undique Babylonem confluxisse ejusque adventum exspectare. Adeo totum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctae gentes velut destinato regi adularentur.

1238. Igitur tamquam conventum universi orbis acturus Babylonem pervenire festinabat. Quo cum venisset, legatos omnes benigne acceptos domum[3] remisit. Iisdem diebus convivium apud Thessalum institutum est, ad quod rex quoque vocatus venit. Ibi nondum Herculis scypho epoto, repente velut telo confixus ingemuit elatusque est e convivio semianimis. Causam morbi intemperiem ebrietatis aliqui divulgarunt;

---

[1] Vide n. 256 f. [2] Vide n. 375, a. [3] Vide n. 278, c.

re tamen vera insidiis occubuit Antipatri, qui, rebus in Graecia gestis, non se e Macedonia ad societatem militiae, sed ad poenam evocatum querebatur.

1239. Is ad occupandum regem subornat filium suum, qui cum Philippo et Jolla ministrare regi solebat. Igitur filius Antipatris, praegustare potum solitus, venenum, praegustato poculo, infudit. Decessit Alexander annos natus tres et triginta, vir supra humanam potentiam magnitudine animi praeditus. (CURT.)

Clementia Caesaris.

1240. Caesar duodevicesimum egressus annum jam pugiones in sinu amicorum absconderat, jam latus consulis petierat, jam fuerat collega proscriptionis; sed quum annum quadragesimum excessisset, ad clementiam se convertit. Nam cum in Gallia moraretur, delatum ad se[1] est L. Cinnam, stolidi ingenii virum, sibi insidias struere. Unus e consciis docuit, ubi et quando et quemadmodum aggredi Cinna imperatorem constituisset.

1241. Nox Caesari inquieta fuit cogitanti fore damnandum adolescentem nobilem, Cn. Pompeji nepotem. Jam unum hominem occidere non audebat, qui M. Antonio edictum proscriptionis inter coenam dictaverat. Quid ergo, inquit, non dabit poenas, qui non solum occidere me constituit, functum[2] tot navalibus pedestribusque proeliis, sed etiam parat immolare, postquam meis victoriis pacem orbi terrarum peperi? Enimvero sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposito, colloqui secum pergit: quid vivis, si perire te tam multorum interest? Num tanti[3] est tua salus, ut tam multa perdenda sint, ne tu pereas?

1242. Interpellavit tandem illum Livia uxor et: admittis, inquit, muliebre consilium? Fac, quod medici solent; qui, ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti; tenta jam, quomodo tibi cedat clementia

[1] Vide n. 77, b. [2] Vide n. 307. [3] Vide n. 225, a.

Ignosce L. Cinnae; deprehensus est; jam nocere tibi non potest. Uxori gratias agit et Cinnam ad se accersit; dimissisque arbitris e cubiculo, quum alteram Cinnae poni cathedram jussisset: hoc, inquit, primum a te peto, ne me loquentem interpelles, ne medio sermone meo proclames; dabitur tibi loquendi liberum tempus.

1243. Ego te, Cinna, cum in hostium castris invenissem factum mihi inimicum, servavi omneque tibi patrimonium concessi. Hodie tam felix es, ut victo victores invideant. Sacerdotium tibi dedi petenti, praeteritis iis, quorum parentes mecum militaverunt. Quum sic de te meruerim, occidere me constituisti. Quum ad hanc vocem exclamasset procul hanc ab se[1] abesse dementiam: non praestas, inquit, fidem, Cinna; convenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras.

1244. Adjecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et quum defixum videret nec jam ex conventione, sed ex conscientia tacentem: quo, inquit, hoc animo facis? Ut ipse sis princeps? male, mehercule, cum populo Romano agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat.

1245. Amplius duas horas loquutum esse constat. Quumque hanc poenam, qua contentus sola futurus erat, extendisset: vitam, inquit, Cinna, tibi iterum do, prius hosti, nunc insidiatori et parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat; contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim an tu debeas. (SEN.)

A multis teritur tempus.

1246. Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia concinnat et diem in lamellis consumit? qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet? qui athletas pascit? Illos tu otiosos vocas, quibus apud tonsorem horae abeunt, dum de singulis capillis in consilium itur[2]; dum disjecta coma restituitur aut decerpitur, quod proxima nocte succrevit? Qui irascuntur,

---

[1] Vide n. 76, a. [2] Vide n. 249, a.

si tonsor paulo negligentior fuit, qui excandescunt, si quid ex juba decisum est aut extra ordinem jacuit. Nonne ii malunt rempublicam turbari quam comam suam? Hos tu otiosos vocas inter pectinem et speculum occupatos?

1247. Quid illi, qui in audiendis dicendisque canticis operati sunt? qui, cum ad res serias adhibiti sunt, aliquam cantilenam susurrant? Non habent isti otium, sed iners negotium. Convivia, mehercule, horum non posuerim[1] inter vacantia tempora, quum videam, quam solliciti argentum ordinent, quam diligenter exoletorum tunicas succingant, quam anxii sint, quomodo aper a coquo exeat, ut signo dato glabri ad ministeria discurrant, quanta arte scindantur aves in frusta.

1248. Ne illos quidem inter otiosos numeraveris, qui se lectica huc et illuc ferunt, quos, quando lavari debeant, quando natare, quando coenare, alius admonet et usque eo inertia solvuntur, ut per se scire nequeant, an esuriant. Audio quendam ex delicatis, cum ex balneo inter manus elatus in sella positus esset, interrogasse: jamne sedeo? Hunc tu ignorantem, an sedeat putas scire, an vivat, an videat, an otiosus sit? Non est hic otiosus: aliud nomen imponas; aeger est; imo mortuus est. (SEN.)

Massinissa, victo Syphace, venenum dat Sophonisbae, sibi recens nuptae.

1249. Syphacem regem in castra adduci quum esset nuntiatum, omnis, velut ad spectaculum triumphi, multitudo effusa est. Praecedebat ipse vinctus; sequebatur grex nobilium Numidarum. Rex in praetorium ad Scipionem est perductus. Movit Scipionem quum fortuna pristina viri praesenti fortunae collata tum recordatio hospitii dextraeque datae. Eadem haec et Syphaci animum dederunt in alloquendo victore; nam, quum Scipio, quid sibi voluisset, quaereret, qui[2] non societatem solum abnuisset Romanam, sed ultro bellum intulisset; tum ille:

---

[1] Vide n. 256, b. [2] Vide n. 373.

1250. Peccasse quidem se atque insanisse fatebatur, non tum demum, quum arma adversus Romanos cepisset, sed quum Carthaginiensem matronam domum recepisset. Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam; illam furiam omnibus delenimentis animum suum alienasse nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit.

1251. Perdito tamen atque afflicto sibi hoc solatii[1] esse[2], quod in Massinissae domum, sibi[3] omnium inimicissimi, transiisse illam furiam videat. Neque prudentiorem Massinissam quam se[3] esse, sed juventa incautiorem. Haec quum diceret non solum hostili odio, sed etiam stimulis amoris agitatus, quod Sophonisbam videret ab aemulo amari, non mediocri cura Scipionis animum pepulit. Et fidem criminibus faciebat tam praeceps festinatio, ut, quo die captam hostem vidisset Massinissa, eodem in matrimonium acciperet et ad Penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. Haec Scipioni secum volutanti Laelius ac Massinissa supervenerunt, quos quum pariter ambo et benigno vultu excepisset et egregiis laudibus frequenti praetorio celebrasset, abductum in secretum Massinissam sic alloquitur:

1252. «Aliquas te existimo, Massinissa, intuentem in me virtutes venisse ad jungendam mecum amicitiam. Atqui nulla earum virtus est, propter quas appetendus tibi visus sim, qua ego aeque atque temperantia et continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes adjecisse velim.

1253. «Non est, mihi crede, tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculum, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. Qui eas sua temperantia frenavit[4] ac domuit, multo majus decus majoremque victoriam sibi peperit, quam nos, Syphace victo, habemus.

1254. «Quae, me absente, strenue ac fortiter fecisti, libenter et commemoravi et memini; cetera te ipsum reputare tecum malo quam, me dicente, erubescere.

---

[1] Vide n. 62. [2] Vide n. 314, a. [3] Vide n. 76, a. [4] Vide n. 267.

1255. «Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est. Itaque ipse, conjux, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quidquid denique Syphacis fuit, praeda populi Romani est: et regem conjugemque ejus, etiamsi non civis Carthaginiensis esset, etiamsi non patrem ejus Asdrubalem imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti, ac senatus populique Romani de ea femina judicium atque arbitrium esse, quae [1] regem nobis socium alienasse atque in arma egisse praecipitem dicatur. Vince animum. Cave deformes multa bona uno vitio et tot meritorum gratiam una culpa corrumpas.»

1256. Massinissae haec audienti [2] non rubor solum suffusus, sed lacrymae etiam obortae, et, quum se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset orassetque eum, ut, quantum res sineret, fidei suae temere obstrictae consuleret (promisisse enim se in nullius potestatem Sophonisbam traditurum), ex praetorio in tabernaculum suum confusus concessit.

1257. Ibi, arbitris remotis, quum crebro suspiritu aliquantum temporis consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu, fidum e servis vocat, sub cujus custodia ad incerta [3] fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonisbam jubet ac simul nuntiare: «Massinissam libenter primam ei fidem praestaturum fuisse, quam vir uxori debuerit; sed quoniam arbitrium ejus Romani adimant, secundam fidem praestare, ne viva in potestatem Romanorum veniat. Memor patris imperatoris patriaeque et duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret.»

1258. Ut nuntius cum veneno ad Sophonisbam venit: «accipio, inquit femina, nuptiale munus nec ingratum, si nihil majus vir uxori praestare potuit. Hoc tamen nuntia libentius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem.» Non loquuta est ferocius, quam acceptum poculum, nullo trepidationis signo dato, impavide hausit.

1259. Quod ubi nuntiatum est Scipioni, nequid Massinissa aeger animi gravius consuleret, accitum eum extemplo nunc

[1] Vide n. 360. [2] Vide n. 375, a. [3] Vide n. 35, b.

solatur, nunc, quod temeritatem temeritate alia luerit, leniter castigat. Postero die Scipio in tribunal escendit et concionem advocari jussit. Ibi Massinissam primum regem appellatum[1] eximiisque ornatum laudibus aurea corona, aurea patera, sella curuli et scipione eburneo, toga picta et palmata tunica donat. Addit verbis honorem: «quum magnificentius triumpho nihil sit apud Romanos, non esse triumphantibus ornatum ampliorem eo, quo Massinissam populus Romanus dignum ducit.»

(Liv.)

T. Manlius filium suum capite plectit.

1260. Nequo[2] errore milites caperentur, edicunt consules, nequis extra ordinem in hostem pugnaret. Forte inter ceteros turmarum praefectos, qui exploratum[3] in omnes partes dimissi erant, T. Manlius, consulis filius, super castra hostium cum suis turmalibus evasit ita, ut teli jactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites; praeerat Geminius Metius, vir tum genere inter suos tum factis clarus.

1261. Is ubi Romanos equites interque eos insignem consulis filium congnovit, unane, ait, turma Romani cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? Quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent? «aderunt in tempore, Manlius inquit; et cum illis aderit Jupiter ipse, foederum a vobis violatorum testis, qui plus potest polletque. Si ad[4] Regillum lacum ad satietatem vestram pugnavimus, hic quoque efficiemus profecto, ne nimis vobis collata nobiscum signa cordi sint.»

1262. Ad ea Geminius paululum ab suis equo provectus: «visne igitur, dum dies ista venit, qua magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipse congredi mecum, ut nostro duorum[5] jam hinc eventu cernatur, quantum eques Latinus Romano praestet?» Movet ferocem animum juvenis seu ira seu detrectandi certaminis pudor. Oblitus itaque edicti praeceps ad certamen agitur.

---

[1] Vide n. 379, a. [2] Vide n. 209, a. [3] Vide n. 356, b. [4] Vide n. 162, b.
[5] Vide n. 63, a.

1263. Ambo juvenes spatio, quod vacui interjacebat campi, adversos concitant equos; quumque infestis cuspidibus concurrissent, Manlio cuspis super galeam hostis elapsa est; Metio trans cervicem equi. Circumactis deinde equis, quum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. Ad cujus vulneris sensum quum Metii equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem; quem cuspide parmaque innixum seque attollentem ab gravi casu Manlius ab jugulo ita, ut per costas ferrum emineret, terrae affixit; spoliisque lectis, ad suos revectus cum ovante prae gaudio turma in castra atque inde ad praetorium tendit; ignarusque, laudem[1] an poenam meritus esset: «ut me omnes, inquit, tuo, pater, sanguine ortum vere ferrent, provocatus haec spolia ex hoste caeso porto».

1264. Quod ubi audivit consul, extemplo filium aversatus concionem classico advocari jussit. Quae ubi frequens convenit: «quandoque, inquit, tu, T. Manli, neque imperium consulare neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti et, quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti, meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipublicae mihi aut mei meorumque obliviscendum sit; nos potius nostro delicto plectemur, quam respublica tanto suo damno peccata luat.

1265. «Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem in te movet quum ingenita caritas liberum tum specimen istud virtutis, quod deceptus vana imagine decoris exhibuisti. Sed quum aut morte tua sancienda sint consulum imperia aut impunitate in perpetuum abroganda, siquid in te nostri sanguinis est, non te censeo recusaturum, quin[2] disciplinam militarem, culpa tua prolapsam, poena restituas. I, lictor, deliga ad palum».

1266. Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter quam in se quisque destrictam cernentes securim, metu magis quam

[1] Vide n. 333, b. [2] Vide n. 350 et 212.

modestia quievere. Itaque velut emerso ab admiratione animo, postquam cervice caesa fusus est cruor, libero conquestu coortae voces sunt, ut[1] neque lamentis neque exsecrationibus parceretur, spoliisque contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum celebrari poterat, structo extra vallum rogo cremaretur. Manlii autem imperia non in praesentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum habita sunt. (Liv.)

Quaerenda vita beata.

1267. Vivere omnes beate volunt, sed ad pervidenda ea, quae beatam vitam efficiunt, caligant. Adeo non est facile consequi beatam vitam, ut ab ea quisque eo longius recedat, quo ad illam concitatius fertur, si via lapsus est. Proponendum est itaque primum quid appetamus; tunc circumspiciendum est, qua contendere illo celerrime possimus, intellecturi[2] in ipso itinere, quantum quotidie proficiamus, quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit.

1268. Quamdiu passim vagamur non ducem sequuti, sed fremitum in diversa vocantium, conteritur vita inter errores. Decernatur itaque et quo tendamus et qua, non sine perito duce, cui explorata sint ea, in quae procedimus; quoniam non eadem hic, quae[3] in ceteris peregrinationibus conditio est: in illis limen non patitur errare; at hic vel tritissima via maxime decipit.

1269. Nihil ergo magis praestandum, quam ne pecudum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Emendabitur traditus per manus error, si modo separemur a coetu, quia stat contra rationem defensor mali sui vulgus. Itaque id evenit, quod in comitiis, in quibus factos praetores iidem qui[3] fecere mirantur, quum mobilis favor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus: hic exitus est omnis judicii, quod secundum plures datur. (Sen.)

De causis rerum.

1270. Dicunt Stoici duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: causam et materiam. Materia jacet iners ad

---

[1] Vide n. 387. [2] Vide n. 382, a. [3] Vide n. 68, b.

omnia parata, cessatura, si nemo moveat. Causa autem materiam format et, quocumque vult, versat.

1271. Aristoteles putat causam tribus modis dici: prima, inquit, causa est materia, sine qua nihil potest effici; secunda opifex; tertia est forma, quae unicuique operi imponitur, tamquam statuae. Quarta quoque, inquit, his accedit propositum totius operis.

1272. Quid sit hoc aperiam? Aes prima statuae causa est; numquam enim facta esset, nisi fuisset id, ex quo duceretur. Secunda causa artifex est; neque enim potuisset aes illud in habitum [1] statuae figurari, nisi accessissent peritae manus. Tertia causa est forma; neque enim statua ista Diana vocaretur, nisi haec illi esset impressa facies. Quarta causa est faciendi propositum; nam, nisi hoc fuisset, facta non esset.

1273. Quid est propositum? Quod invitavit artificem; quod ille sequutus fecit. Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit; vel gloria, si laboravit in nomen [2]; vel religio, si donum templo paravit. Ergo et haec causa est, propter quam fit. An non putas inter causas facti operis esse numerandum, quo [3] remoto, factum non esset? His quintam Plato adjicit exemplar, quam ipse ideam vocat; hoc est enim, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat effecit. Nihil autem ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod sibi ipse concepit. (SEN.)

Eruditio oratoria.

1274. Sunt qui putent sufficere, ut, si causa tempusque inciderit, in quibus opus erit artium cognitione, eam tunc e libris petere studeamus. Sed ii vehementer errant; nam aliter utimur propriis, aliter commodatis. Longeque interest, possideat [4] quis, quae profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum rerum scientia et aliud agentes nos ornat et, ubi minime credas, eminet; idque non doctus modo auditor, sed etiam populus

---

[1] Vide n. 178, c. [2] Vide n. 178, d. [3] Vide n. 301, b. [4] Vide n. 335, a et 333, b.

intelligit; atque ita laude prosequitur, ut per omnes eloquentiae numeros iisse oratorem fateatur.

1275. Quam laudem alius non assequetur, nisi qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum fex quoque quotidiani sermonis deprehendatur; ut ignorent leges; non teneant senatus consulta; jus civitatis ultro derideant; sapientiae vero studium penitus reformident; denique eloquentiam detrudant regno suo, ut[1], quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu splendebat, nunc male mulcata jaceat sine honore ac paene dixerim sine ingenuitate. (TAC.)

Profligatio Caesaris.

1276. Proeliantibus acriter Pompejanis, equitatus Caesaris, quod angusto itinere per aggeres ambo exercitus ascendebant, receptui suo timens initium fugae fecit. Dextrum cornu, terrore equitum animadverso, ne intra munitionem opprimeretur, qua parte proruit, eadem se recepit: ac plerique ex iis, ne in angustias inciderent, sese in fossas munitionis praecipitarunt; primisque oppressis, reliqui per horum corpora exitum sibi et salutem pepererunt.

1277. Sinistri cornu milites cum suos fugere cernerent, veriti ne angustiis intercluderentur, eodem, quo venerant, receptui consuluerunt. Omnia erant tumultus, timoris, fugae plena adeo, ut ne Caesar quidem imperio coërcere militum fugam posset. Atque hoc fuit praesidio[2], quominus[3] omnis exercitus deleretur, quod Pompejus insidias timens (credo, quod haec praeter spem acciderant) munitionibus appropinquare non audebat; equitesque ejus, portis a Caesare occupatis, ad insequendum tardabantur. (CAES.)

Caesar Pompejum hortatur ad pacem.

1278. L. Vibullius, Pompeji praefectus, bis in potestatem pervenerat Caesaris atque ab eo erat dimissus, semel ad Corni-

[1] Vide n. 386. [2] Vide n. 229, a. [3] Vide n. 353, c.

ficium, iterum in Hispaniam. Hunc pro suis[1] beneficiis Caesar judicaverat idoneum, quem[2] cum mandatis ad Pompejum mitteret. Erat autem haec summa mandatorum:

1279. Debere utrumque pertinaciae finem facere et ab armis discedere neque amplius fortunam periclitari. Satis magna utriusque incommoda esse accepta, quae pro disciplina habere possent, ut reliquos casus timerent. Illum ab Italia expulsum, amissa Sicilia et Sardinia duabusque Hispaniis et cohortibus civium centum et triginta.

1280. Se morte Curionis afflictum et detrimento Africani exercitus, militum deditione ad Corcyram. Proinde sibi ac reipublicae parcerent, quantumque in bello fortuna posset, jam ipsi incommodis suis satis essent documento[3]. Hoc unum esse tempus de pace agendi, dum pares ambo viderentur; si vero alteri paulum modo fortuna tribuisset, non fore aequa parte contentum, qui se omnia habiturum confideret. Conditiones pacis Romae a senatu et populo peti debere.

(CAES.)

Pugna cum facibus.

1281. Concusserat primo statim congressu dictator hostem; quum repente, patefactis Fidenarum portis, facibus armata multitudo erumpit ac velut fanatico instincta cursu in hostem ruit. Forma insolitae pugnae Romanos exterruit, cessitque parumper flammis sinistrum cornu. Tunc dictator, accito e montibus magistro equitum, accurrit ad incendium et: «fumone, inquit, velut examen apum, exigemini? Vertite incendium hoc in hostium urbem et suis[4] flammis delete Fidenas.»

1282. Ad imperium dictatoris mota cuncta acies. Multae faces eripiuntur hosti; utraque acies armatur igni. Magister equitum, frenos ut detrahant equis, imperat et ipse effreno equo, calcaribus subditis, in medios ignes infertur; sequuntur equites libero cursu. Pulvis elatus mixtusque fumo lucem ex oculis aufert: ea, quae militem terruerat species, nihil terruit equos.

---

[1] Vide n. 83 et 84. [2] Vide n. 265, b. [3] Vide n. 229, a.
[4] Vide n. 81, b.

1283. Ruinae igitur similem stragem eques, quacumque pervaserat, dedit. Tunc novus coortus clamor, hostem ab tergo adoriri: quum neque in castra retro neque in montes iter fugae esset, Vejentium maxima pars Tiberim effusi[1] petunt. Fidenatium qui supersunt, ad urbem Fidenas fugiunt; infert pavidos fuga in mediam caedem: obtruncantur in ripis; alios in aquam compulsos gurgites ferunt; etiam peritos nandi[2] lassitudo et vulnera et pavor degravant; pauci ex multis tranant. (Liv.)

Capitolium servatur.

1284. Dum Vejis militatur, interim Romae in magno periculo arx fuit; namque Galli, animadverso, ad Carmentae[3], saxo ascensu aequo, quum inermem, qui[4] tentaret viam, nocte sublustri praemisissent, sublevantes invicem et trahentes alii alios in summum evasere tanto silentio, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal, ad nocturnos strepitus concitarent.

1285. Anseres non fefellere; quae res saluti fuit. Nam clangore eorum alarumque crepitu excitus M. Manlius, vir bello egregius, ad arma ceteros ciens vadit; ac, dum ceteri trepidant, Gallum, qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat; proximos saxa manibus amplexos trucidat. Jamque congregati multi militum hostem telis proturbare[5] aciemque totam in praeceps dare.

1286. Sedato deinde tumultu, reliquum noctis[6] (quantum in turbatis mentibus praeteritum periculum patiebatur) quieti datum est. Luce orta, vocatis classico ad concilium militibus, Manlius ob virtutem laudatus donatusque est ab tribunis militum; cui universi selibras farris et quartarios vini ad aedes ejus, quae in arce erant, contulerunt. Tum vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati sunt; et Q. Sulpicius unum vigilem, in quem milites culpam conjecerunt, reum haud dubium ejus noxae, approbantibus cunctis, de saxo dejecit. (Liv.)

---

[1] Vide n. 10. [2] Vide n. 128, c. [3] Vide n. 163, a. [4] Vide n. 352, a. [5] Vide n. 314, a. [6] Vide n. 35, a.

Matronae spargunt venena.

1287. Seu intemperie coeli seu humana fraude quum multi mortales perirent, ancilla quaedam ad Q. Fabium aedilem curulem indicaturam se[1] causam pestis professa est, si fides sibi[2] daretur haud futurum noxae[3] indicium. Fabius confestim ad consules, consules ad senatum referunt; qui fidem indici dedit. Tum patefactum ab ancilla est muliebri fraude civitatem premi; et si sequi extemplo velint, manifesto deprehendi posse.

1288. Sequuti indicem quasdam[4] invenerunt coquentes venena, quibus in forum delatis et ad[5] viginti matronis per viatorem accitis, duae ex iis, Cornelia et Sergia, quum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice bibere jussae, epoto medicamento, suamet ipsae fraude interierunt. (Liv.)

Legio linteata.

1289. Ad Aquiloniam quadraginta millia militum, quod roboris[6] in Samnio erat, convenerunt. Ibi mediis fere castris locus est conseptus cratibus et linteis contectus, patens ducentos maxime pedes[7]. Ibi ex libro linteo sacrificatum est, sacerdote Ovio Pactio[8], homine magno natu, qui se id sacrum petere affirmabat ex vetusta Samnitium religione. Sacrificio perfecto, imperator acciri jubebat nobilissimum quemque ac singulos introduci.

1290. Erant in loco circa omni contecto arae victimaeque circa caesae et circumstantes centuriones strictis gladiis. Admovebatur altaribus miles, magis ut victima quam ut sacri particeps. Dein jurare cogebatur diro carmine in exsecrationem capitis composito, nisi isset in proelium aut siquem ex acie fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Id primo quidam abnuentes juraturos se, obtruncati circa altaria sunt; jacentes deinde inter stragem victimarum documento[9] ceteris fuere, ne

---

[1] Vide n. 75, a. [2] Vide n. 77, b. [3] Vide n. 229, a. [4] Vide n. 15. [5] Vide n. 163, b. [6] Vide n. 62. [7] Vide n. 288, b. [8] Vide n. 376, b. [9] Vide n. 229, a.

abnuerent. Ea legio linteata ab integumento consepti loci appellata est. His arma insignia data et cristatae galeae, ut inter ceteros eminerent. (Liv.)

Initur consilium occidendi Hannibalis.

1291. Deversatus Hannibal est apud Ninnios Pacuviumque, inclytos nobilitate ac divitiis. Eo Calavius, princeps factionis, quae traxerat rem ad Poenos, Perollam filium adduxit, qui ferocissime pro Romana societate adversus punicum foedus steterat. Huic pater juveni placavit Hannibalem, qui victus patriis precibus lacrymisque etiam ad coenam eum cum patre vocari jussit. Coeperunt epulari de die; atque, omnibus perpotantibus[1], unus Calavii filius Perolla persuaderi non potuit, ut largius biberet, valetudinem causans.

1292. Solis ferme occasu patrem Calavium ex convivio egressum sequutus Perolla, ubi ad hortum pervenerunt, qui erat ad posticum: affero, inquit, consilium, pater, quo non veniam solum, quod defecimus ad Hannibalem, impetraturi ab Romanis, sed in majore gratia simus Campani, quam umquam fuimus. Quum mirabundus pater, quidnam id esset, quaereret; toga rejecta ab humero, latus succinctum gladio nudat et: «jam ego, inquit, sanguine Hannibalis sanciam foedus Romanum. Te id prius scire volui, si forte abesse, dum facinus patratur, malles».

1293. Quae ubi audivit senex, velut si jam agendis, quae audiebat, interesset, amens metu: per ego te, inquit, quaecumque jura liberos jungunt parentibus, precor quaesoque, ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. Num ideo ante paucas horas dextrae dextram jungentes fidem obstrinximus, ut digressi ab colloquio in eum extemplo manus armaremus? Ab hospitali mensa surgis, ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Hannibale, ut eam ipsam mensam cruentares hospitis sanguine?

1294. Sed non sit[2] fides, non religio, non pietas; audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere afferunt. Unusne

[1] Vide n. 375, b. [2] Vide n. 256, e.

es aggressurus Hannibalem? Quid illa turba liberorum servorumque? Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequeunt, tu solus sustinebis? Ut alia auxilia desint, meum ego pectus pro corpore Hannibalis opponam; num per meum vulnus petendus ille tibi est?

1295. Lacrymantem inde juvenem amplectitur atque osculo haerens non ante precibus abstitit, quam pervicit, ut, deposito gladio, fidem daret nihil facturum tale. Tunc juvenis: «ego, inquit, quam patriae debeo pietatem, parenti exsolvam. Tu, patria, ferrum, quod pro te strinxeram, quando parens extorquet, recipe.» Atque haec dicens gladium in publicum trans maceriam horti abjecit et, quo minus [1] res suspecta esset, se ipse convivio reddidit. (Liv.)

Terror in urbe, Hannibale propinquante.

1296. Hannibal praeter Cales diem unum populando [2] moratus ad urbem cum exercitu contendit. Romam Fregellanus nuntius, celerrimo itinere, ingentem attulit terrorem. Tumultuosius, quam nuntiatum erat, cursus hominum affigentium vana auditis totam urbem conciverat.

1297. Ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur, sed undique matronae in publicum effusae circa deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, nixae genibus, supinas manus ad coelum tendentes orantesque, ut urbem Romanam e manibus hostium eriperent. Senatus magistratibus in foro praesto est, si quid consulere velint. Alii accipiunt imperia discedunteque ad suas quisque partes; alii offerunt se, si quo [3] usus opere [4] sit. Praesidia in arce, in Capitolio, in muris circa urbem, in monte etiam Albano atque arce Aesulana ponuntur.

1298. In hoc tumultu Flaccus urbe egressus inter Esquilinam Collinamque portam posuit castra, quo senatus venit deque summa republica consultavit. Inter haec Hannibal ad

[1] Vide n. 353, c. [2] Vide n. 383, a. [3] Vide n. 209, c. [4] Vide n. 37, a.

Aniensem fluvium, tria millia[1] passuum ab urbe, castra admovit, unde postero die in aciem omnes copias eduxit. Consules certamen non detrectavere; sed imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem turbavit, ut vix, armis retentis, in castra sese receperint. In religionem ea res apud Poenos versa est, auditaque vox Hannibalis: potiundae sibi urbis modo mentem non dari, modo fortunam. (Liv.)

Excidium Astapae.

1299. Quum Marcius ad Astapam oppugnandam admovisset exercitum, oppidani, quia nec deditio tuta ad tam infestos videbatur nec spes moenibus aut armis tuendae salutis, facinus in se ac suos foedum consciscunt[2]. Locum in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congererent. Super eum cumulum conjuges ac liberos considere quum jussissent, ligna circa exstruunt fascesque virgultorum conjiciunt.

1300. Quinquaginta deinde armatis praecipiunt, ut, donec incertus eventus pugnae esset, praesidium eo loco fortunarum suarum corporumque servarent. Si rem inclinatam viderent, atque in eo jam esse, ut urbs caperetur, nihil relinquerent, in quo saevire hostis posset. Ferrum ignemque in manibus esse; amicae potius, quae peritura essent, manus absumerent, quam insultaret ludibrio hostis. (Liv.)

Corrupti civium mores.

1301. Postquam divitiae honori esse coepere, hebescere virtus, paupertas probro haberi coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque superbia invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, nihil pensi atque moderati habere[3]. Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris, visere templa deorum, quae nostri majores fecere.

1302. Verum illi religiosissimi mortales delubra deorum pietate, domos virtute decorabant; neque victis quidquam praeter injuriae licentiam eripiebant. At hi contra ignavissimi

---

[1] Vide n. 287, b. [2] Vide n. 370, b. [3] Vide n. 314, a.

homines per summum scelus omnia ea sociis adimere[1], quae fortissimi viri victores hostibus reliquerant; proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti. Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse? Quibus mihi ludibrio[2] videntur fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properarunt. (SALL.)

Conjurati strangulantur.

1303. Postquam senatus in sententiam Catonis discessit, qui necandos[3] censebat conjuratos, consul optimum factu ratus noctem, quae instabat, antecapere, nequid eo spatio novaretur; triumviros necessaria supplicio parare jussit. Ipse, dispositis praesidiis, Lentulum in carcerem deducit.

1304. Est locus in carcere, quod[4] Tullianum appellatur, circiter duodecim pedes[5] humi depressus: eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus; in eum locum postquam demissus est Lentulus, ii, quibus praeceptum erat, laqueo ei gulam fregere. Ita ille patricius ex clarissima gente Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitum vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est. (SALL.)

Mariani milites murum subeunt.

1305. Dum arcem Capsae Marius obsidet, forte quidam Ligus, miles gregarius, castris aquatum[5] egressus, animadvertit inter saxa repentes cochleas haud procul ab latere castelli; quarum quum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legendi prope ad summum montis escendit. In eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paululum prona, cujus ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus castelli planitiem perscribit[6]. Exploratis, quae mox usui forent, eadem regre-

---

[1] Vide n. 314, a. [2] Vide n. 229, a. [3] Vide n. 339, a. [4] Vide n. 21, a.
[5] Vide n. 356, a. [6] Vide n. 266, b.

ditur non temere, uti ascenderat, sed tentans omnia et circumspiciens.

1306. Itaque Marium propere adit actaque edocet: hortatur, ea parte, qua ipse descenderat, castellum tentet[1]; pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure promissa ejus[2] cognitum delectos mittit, qui rem haud difficilem factu quum docuissent, consulis animus erectus est. Itaque dat Liguri milites, qui eo duce ascensum tentent. Pergit ad locum Ligus cum delectis; arma mutaverant, caput pedesque nudaverant, ut nisus per saxa facilior foret; super terga gladios gerebant et scuta, atque ea ex corio, ponderis gratia et quo[3] levius offensa streperent.

1307. Igitur praegrediens Ligus saxa et siquae radices eminebant laqueis vinciebat, quibus allevati milites escenderent. Diu multumque fatigati tandem in castellum perveniunt desertum, quod omnes adversum hostes ierant. Quare Romanis hostibusque proelio intentis, repente a tergo signa canere; ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, ut quisque muro proximus erat, postremo cuncti armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare[4], fundere ac plerosque sauciare; dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriae certatim murum petere. (SALL.)

Voluptas agriculturae.

1308. Me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae vis ac natura delectat; quae, quum semen gremio subacto sparsum excepit, primum id occaecatum cohibet, ex quo occatio nominata est; deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit et elicit herbescentem ex eo viriditatem, quae nixa fibris stirpium sensim adolescit culmoque erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur; e quibus quum emersit, fundit frugem spici, ordine structam et contra avium morsus munitam vallo aristarum.

---

[1] Vide n. 336, c. [2] Vide n. 86. [3] Vide n. 351, c. [4] Vide n. 314, a.

1309. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? Omitto vim ipsam omnium, quae generantur e terra: quae ex fici tantulo grano aut ex acino vinaceo aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. Vitis quidem, quae natura caduca est et, nisi[1] fulta sit, ad terram fertur, eadem ut se erigat, claviculis suis quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia frundatur.

1310. Itaque, ineunte vere, in iis, quae relicta sunt, exsistit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur; a qua oriens uva sese ostendit, quae et succo terrae et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit; vestitaque pampinis nec modico tepore caret et nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse tum fructu laetius, tum aspectu pulchrius? Cujus non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura et ipsa natura delectat. (Cic.)

Utilitas amicitiae.

1311. Multi perverse, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt; quaeque ipsi non tribuunt amicis, haeç ab illis desiderant. Par est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere. In talibus ea, quam tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest: quum homines benevolentia conjuncti primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt, deinde aequitate justitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quidquam nisi honestum alter ab altero postulabit, neque solum se colent ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam.

1312. Itaque perniciosus est eorum error, qui existimant peccatorum omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum

[1] Vide n. 363, b.

amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes, ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, consociata cum altera perveniret. (CIC.)

Utilitas parsimoniae.

1313. Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. Capis tu ex tuis praediis sexcentos sestertios; ego centenos ex meis; tibi, aurata tecta in villis et sola marmorea facienti et signa, tabulas, supellectilem infinite concupiscenti, non modo ad sumptum exiguus est ille fructus, sed etiam ad foenus. Ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur est ditior: cui deest an cui superat? qui eget an qui abundat?

1314. Non esse cupidum pecunia est; non esse emacem vectigal est; contentum vero suis rebus esse certissimae sunt divitiae. Etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas magno[1] aestimant, quod ei generi possessionum minime noceri[2] potest; quanti est aestimanda virtus, quae numquam potest subripi neque naufragio neque incendio amittitur nec temporum perturbatione mutatur? (CIC.)

„Cedant arma togae."

1315. Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poëtam armis persequare, scire cupio, quid tandem isto in versu reprehendas «cedant arma togae»? Meae togae dicis summum imperatorem esse cessurum. Quid nunc te, asine, litteras doceam? Non dixi hanc togam, quam sum indutus, nec arma, gladium unius imperatoris, sed togam insigne pacis, arma autem belli. More poëtarum loquutus intelligi volui bellum paci esse concessurum. (CIC.)

De scribendo ante dicendum.

1316. Videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus labor accederet ad forensem; pleraeque enim scri-

[1] Vide n. 225, c. [2] Vide n. 319, b.

buntur orationes habitae jam non, ut habeantur; alios non laborare, ut meliores fiant, nulla enim res tantum ad dicendum proficit quantum scriptio; memoriam autem in posterum ingenii sui non desiderant, quum se putent satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eamque majorem visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint.

1317. Denique sunt qui nihil scribant, quia melius putent dicere se posse quam scribere; id quod peringeniosis hominibus nec satis doctis plerumque contingit; ut ipsi Galbae, quem fortasse vis non ingenii solum, sed etiam animi et naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, ut et incitata et gravis et vehemens esset oratio. Dein quum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi tamquam ventus hominem defecerat, flaccescebat oratio, quod iis, qui limatius dicendi genus sectantur, accidere non solet, propterea quod prudentia numquam deficit oratorem; qua ille utens eodem modo possit et dicere et scribere. (CIC.)

Dotes oratoriae.

1318. Scauro et Rutilio quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere; ne id quidem satis est, nisi id quod dicitur, sit voce, vultu, motuque conditius. Quid dicam opus esse doctrina? sine qua etiamsi quid bene dicitur, adjuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest.

1319. In Scauri oratione, sapientis hominis et recti[1], gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares. Sed hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur; ad senatoriam vero sententiam, cujus erat ille princeps, vel maxime. Significabat enim non prudentiam solum, sed quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. (CIC.)

---

[1] Vide n. 309, b.

Eloquentia Antonii.

1320. Ego sic existimo Antonium Crassumque oratores fuisse maximos et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum valere possent, collocabat, ut imperator equites, pedites levemque armaturam. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio; imparatus semper aggredi ad dicendum putabatur; sed ita erat paratus, ut judices, illo dicente[1], nonnumquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse.

1321. Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone, sed propria oratoris. In verbis eligendis et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat, verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus.

1322. Sed quum haec magna in Antonio tum actio singularis; quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat cum sententiis congruens: manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnis motus cum rebus sententiisque consentiens; vox permanens, verum subrauca natura; sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. Habebat enim flebile quiddam aptumque quum ad fidem faciendam tum ad misericordiam movendam. (Cic.)

Eloquentia Crassi.

1323. Antonio alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. Illud quidem certe omnes judicabant neminem esse, qui horum alterutro patrono[2] cujusquam ingenium requireret. Equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri posse perfectius.

1324. Erat summa gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum et urbanitatis oratorius non scurrilis lepos; Latine

---

[1] Vide n. 375, b. [2] Vide n. 376, b.

loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia; in disserendo mira explicatio; quum de jure civili, quum de aequo et bono disputaret, argumentorum et similitudinum copia.

1325. Nam ut Antonius in conjectura movenda et in sedanda suspicione vel excitanda incredibilem vim habebat; sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius; idque quum saepe alias tum apud centumviros in M' Curii causa cognitum est. (CIC.)

Educatio oratoria Ciceronis.

1326. Quum princeps Academiae, Philo, Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus. Eodem anno Moloni Rhodio Romae dedi operam, et actori summo causarum et magistro. Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu aut discessu aut fuga primas[1] in causis agebat Hortensius; Piso saepe dicebat; minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni noctes[2] et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar.

1327. Habitabat apud me Stoicus Diodotus, a quo in dialectica studiosissime exercebar, quae quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est. Huic ego doctori ita eram deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius; vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat; vel quod a Graecis doctoribus, nisi Graece dicerem, corrigi non possem.

1328. Recuperata republica, nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus. Prima pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut nulla esset, quae non digna patrocinio nostro videretur.

---

[1] Vide n. 15. [2] Vide n. 283, b.

1329. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum; qui habitus non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. Itaque quum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem; quodvis potius periculum mihi[1] adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi.

1330. Quum essem biennium versatus in causis, et jam in foro celebratum meum nomen esset, veni Athenas sexque menses cum Antiocho, Academiae prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiae, hoc summo auctore[2], renovavi; eodemque tempore apud Demetrium Syrum, non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam.

1331. Post peragravi Asiam et multos audivi, quibus non contentus Rhodum veni meque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem, applicavi, quum actorem in veris causis praestantem tum in notandis vitiis docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coërceret. Ita recepi me biennio post non modo exercitatior, sed prope mutatus. (CIC.)

Veteres de divina providentia.

1332. Sunt philosophi et hi quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant. Neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitae hominum consuli et provideri: nam fruges et reliqua, quae terra pariat, et tempestates et temporum varietates coelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a diis immortalibus tribui generi humano putant; quasi ea dii immortales ad usum hominum fabricati esse videantur.

---

[1] Vide n. 129, a et 229, b. [2] Vide n. 376, b.

1333. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. Res enim nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant: quorum opiniones quum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una vera sit. (CIC.)

Exsistit Deus.

1334. Quid potest esse tam perspicuum, quum coelum suspeximus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius «patrem divumque hominumque»? Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem sol sit[1] an nullus sit dubitare possit.

1335. Quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret nec confirmaretur diuturnitate temporis nec una cum saeculis aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim hippocentaurum fuisse aut chimaeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest, quae[2] illa, quae quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat? Opinionum enim commenta delet dies, naturae judicia confirmat. (CIC.)

Cursus astrorum.

1336. Sol inflectens cursum tum ad septentriones tum ad meridiem aestatem et hiemem efficit et ea duo tempora, quae ver et autumnus appellantur; quorum alterum hiemi senescenti adjunctum est, alterum aestati. Ita ex quatuor temporum mutationibus omnium, quae terra marique gignuntur, initia causaeque ducuntur. Solis annuos cursus luna consequitur; cujus tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. Neque solum ejus species ac forma mutatur tum crescendo tum deficiendo, sed etiam regio; quae tum est aquilonalis, tum australis.

---

[1] Vide n. 333, b. [2] Vide n. 388.

1337. In lunae quoque cursu est et brumae quaedam et solstitii similitudo; multaque ab ea manant et fluunt, quibus et animantes alantur et pubescant, quae oriuntur e terra. Maxime vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quae falso vocantur errantes; nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus et regressus reliquosque motus constantes et ratos.

1338. Quod eo est admirabilius in his stellis, quia tum occultantur tum rursus aperiuntur, tum abeunt tum antecedunt, tum subsequuntur tum celerius moventur, tum tardius tum omnino ne moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt. Quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tunc efficitur, quum solis et lunae et quinque errantium ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conversio. (Cic.)

De ratione naturae.

1339. Alii naturam censent esse vim quandam sine ratione cientem motus in corporibus necessarios, alii autem vim participem rationis atque ordinis, cujus sollertiam nulla ars, nemo opifex consequi possit imitando. Seminis enim vim esse tantam, ut, si inciderit in concipientem naturam nactumque sit materiam, qua augeatur, alia efficiat, quae per stirpes alantur suas; alia, quae etiam sentire possint.

1340. Sunt autem qui omnia naturae nomine appellent, ut Epicurus; qui vult omnium, quae sint[1], naturam esse corpora et inane, quaeque his accidant. Sed quum nos dicimus natura constare mundum, non ita dicimus ut glebam, ut fragmentum lapidis; sed ut arborem, ut animal, in quibus multa temeritas, sed ordo apparet et artis quaedam similitudo. (Cic.)

Mundus non casu factus est.

1341. Si omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse neque ad speciem

[1] Vide n. 258, a.

pulchriores; videamus utrum[1] ea fortuita sint, an cohaerere nullo modo potuerint nisi sensu moderante divinaque providentia. Si ergo meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta sunt, neque ars efficit quidquam sine ratione; ne natura quidem habenda est rationis expers. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam quum aspexeris, scire adhibitam esse artem; quumque procul cursum navigii videris, non dubitare quin[2] id ratione atque arte moveatur; aut quum solarium contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu; mundum autem, qui et has ipsas artes et earum artifices et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem putare?

1342. Quodsi in Scythiam hanc sphaeram aliquis tulerit, quam nuper Posidonius effecit, cujus singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod[3] efficitur in coelo singulis diebus et noctibus; quis in illa barbarie dubitet, quin[2] ea sphaera perfecta sit ratione? (Cic.)

Ordo mundi.

1343. Terra sita in media parte mundi circumfusa undique est hac spirabili natura, cui nomen est aër: hunc rursus amplectitur immensus aether; ex aethere innumerabiles flammae siderum exsistunt, quorum est princeps sol, multis partibus[4] amplior quam terra universa. Atque hi tanti ignes tamque multi non modo nihil nocent terris, sed ita prosunt ut, si moti loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus, temperatione sublata.

1344. Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat mundum effici pulcherrimum ex corporum concursione fortuita? Hoc qui existimet fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si formae litterarum innumerabiles aliquo conjiciantur posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici. Quodsi mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur urbem non potest

---

[1] Vide n. 335, a. [2] Vide n. 212. [3] Vide n. 68, b. [4] Vide 243, l

Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem coeli ornatum suspexisse videantur.

1345. Praeclare ergo Aristoteles: si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent nec exissent umquam supra terram, accepissent autem fama esse quoddam numen; deinde, patefactis terrae faucibus, ex suis sedibus evasissent in haec loca, quae nos incolimus; quum repente terram et maria coelumque vidissent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent aspexissentque solem; et quum terras nox opacasset, coelum cernerent astris distinctum, profecto et esse Deum et haec tanta opera Dei esse arbitrarentur. (CIC.)

De stomacho et aspera arteria.

1346. Quum vita animantium tribus rebus teneatur: cibo, potione, spiritu; ad haec omnia percipienda os est aptissimum. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus; eorum adversi morsu dividunt escas, intimi conficiunt, qui genuini vocantur; stomachus autem ad radices linguae haerens accipit ea, quae ex ore illabuntur; et tonsillas utraque ex parte attingens palato extremo atque intimo terminatur.

1347. Aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habet adjunctum linguae radicibus paullo supra quam ad linguam stomachus annectitur; eaque ad pulmones usque pertinet accipitque animam eam, quae ducta sit spiritu, eamque a pulmonibus reddit: quare tegitur quodam quasi operculo, quod ob eam causam datum est, ne, siquid in eam cibi [1] forte incidisset, spiritus impediretur. Sed quum alvi natura subjecta stomacho cibi et potionis sit receptaculum, pulmones autem et cor extrinsecus spiritum adducant, in alvo multa sunt mirabiliter effecta, quae constat fere e nervis.

1348. Est autem multiplex et tortuosa arcetque et continet, sive illud aridum est sive humidum, quod recipit, ut id mutari et concoqui possit; eaque tunc astringitur tum rela-

[1] Vide n. 62.

xatur, atque omne, quod accipit, cogit et confundit, ut facile et calore, quem multum habet exterendo[1] cibo, et praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur. (Cic.)

Vasa a Diodoro conatur Verres furari.

1349. Accipite, si vultis, judices, rem ejusmodi, ut amentiam singularem Verris perspicere possitis. Melitensis Diodorus est, qui apud vos antea testimonium dixit. Is Lilybaei multos jam annos habitat, homo et domi nobilis et apud eos, quo[2] se contulit, propter virtutem gratiosus. De hoc Verri dicitur habere eum perbona toreumata: in his pocula duo quaedam Mentoris manu summo artificio facta.

1350. Quod iste ubi audivit, sic cupiditate inflammatus est non solum inspiciundi, verum etiam auferendi, ut Diodorum ad se vocaret ac posceret. Ille, qui ea non invitus haberet, respondet se Lilybaei non habere; Melitae apud quendam propinquum suum reliquisse. Tum iste continuo mittit homines certos Melitam; scribit ad quosdam Melitenses, ut ea vasa perquirant; rogat Diodorum, ut ad illum suum propinquum det litteras.

1351. Diodorus, qui sua servare vellet, propinquo suo scribit, ut iis, qui a Verre venissent, responderet illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybaeum[3]. Ipse interea discedit; quod ubi audivit iste, usque eo est commotus, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur. Quia non potuerat argentum eripere, ipse a Diodoro erepta sibi vasa dicebat; minitari absenti Diodoro, vociferari palam, lacrymas interdum vix tenere.

1352. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate fuisse, ut, cum vidisset monile ex auro et gemmis, pulchritudine ejus incensa salutem viri proderet. Similis istius cupiditas: hoc etiam acrior, quod illa cupiebat id, quod viderat; hujus libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitantur. (Cic.)

---

[1] Vide n. 355, c. [2] Vide n. 305, a. [3] Vide n. 278, b.

Simulacrum Dianae furatur Verres.

1353. Erat apud Segestanos ex aere simulacrum Dianae, tum summa et antiquissima praeditum religione tum singulari opere artificioque perfectum. Colebatur a civibus, ab omnibus advenis visebatur. Quum quaestor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. Erat admodum excelsum signum cum stola; verumtamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero; sinistra manu retinebat arcum; dextra ardentem facem praeferebat.

1354. Hanc quum iste sacrorum hostis religionumque praedo vidisset, quasi illa face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia coepit. Imperat magistratibus, ut eam demoliantur et sibi[1] dent; nihil sibi gratius ostendit futurum. Illi vero dicere[2] id sibi nefas esse seque tum summa religione tum summo metu legum et judiciorum teneri. Opponebant nomen Africani; donum populi Romani illud esse dicebant; nihil se in eo potestatis habere.

1355. Tunc iste sic coepit vexare civitatem, ut multis malis magnoque metu victi Segestani imperio praetoris parendum esse decreverint. (Cic.)

Simulacrum Mercurii furatur Verres.

1356. Mercurium, qui sacris anniversariis in Sicilia colebatur, mandat Verres proagoro Sopatro, ut demoliatur. Respondetur ei senatum non permittere; poenam capitis constitutam, si injussu senatus quisquam attigisset; simul religio commemoratur. Tum iste: quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum? vivum te non relinquam; moriere virgis, nisi[3] signum traditur.

1357. Sopater flens ad senatum defert istius cupiditatem minasque demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat. Sopater praetoris arcessitus nuntio negat rem ullo modo fieri posse.

---

[1] Vide n. 76, a. [2] Vide n. 314, a. [3] Vide n. 363, b.

1358. Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus; quum[1] iste imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua sedebat, in forum dejiciant nudumque constituant. Vix erat hoc plane imperatum, quum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres. Omnes ideo putabant, ut miser atque innocens virgis caederetur. Fefellit haec homines opinio. Leniter hominem clementerque accepit.

1359. Equestris est medio in foro statua Marcelli: in ea Sopatrum, hominem tum domi nobilem tum summo magistratu praeditum, divaricari ac deligari jubet. Quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, quum esset vinctus, nudus in aere, in imbri, in frigore. Neque finis huic injuriae factus est, donec populus atrocitate rei commotus senatum clamore coëgit, ut Verri simulacrum Mercurii polliceretur.

(CIC.)

Conatur Verres auferre simulacrum Herculis.

1360. Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro sane sanctum apud illos et religiosum. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius; tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi. Ad hoc templum, quum esset Verres Agrigenti, nocte intempesta servorum armatorum fit concursus atque impetus. Clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur. Qui primo obsistere ac defendere conarentur, male mulcati clavis ac fustibus repelluntur. Postea, convulsis repagulis effractisque valvis, demoliri signum conantur.

1361. Interea ex clamore fama percrebuit tota urbe expugnari deos patrios, non repentino praedonum impetu, sed ex domo atque cohorte praetoria manum fugitivorum instructam venisse. Nemo Agrigenti neque aetate tam affecta neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte eo nuntio excitatus surrexerit telumque, quod cuique fors offerebat, arripuerit. Itaque brevi tempore ad fanum ex urbe tota concurritur[2].

---

[1] Vide n. 371. [2] Vide n. 249, a.

1362. Hora amplius jam in demoliendo signo permulti homines moliebantur; illud interea nulla nutabat ex parte, quum alii vectibus subjectis conarentur commovere, alii deligatum omnibus membris rapere ad se funibus. Repente Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio; dant sese in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites. Numquam tam male est Siculis, quin aliquid facete dicant, velut in hac re[1]. Ajebant in labores Herculis non minus hunc immanissimum *verrem* quam illum aprum Erymanthium referri oportere.

(Cic.)

De triplici genere columnarum.

1363. E columnarum formationibus trium generum factae sunt nominationes: Dorica, Jonica, Corinthia. Nam Graeci templa deorum constituentes coeperunt fana aedificare, et primum Apollini Panionio aedem, uti viderant in Achaja, constituerunt et eam Doricam appellarunt, quod in Dorieon civitatibus primum factam eo genere viderunt.

1364. Atque in ea aede quum voluissent columnas collocare, non habentes symmetrias earum et quaerentes quibus rationibus efficere possent, uti ad onus ferendum essent idoneae et in aspectu probatam haberent venustatem, dimensi sunt virilis pedis vestigium et, cum invenissent pedem sextam partem esse altitudinis in homine, ita in columnam transtulerunt, et, qua crassitudine fecerunt basim scapi, tantum eam sexies cum capitulo in altitudinem extulerunt. Ita Dorica columna humani corporis proportionem aedificiis praestare coepit.

1365. Item postea Dianae constituere aedem quaerentes novi generis speciem iisdem vestigiis ad muliebrem transtulerunt gracilitatem, et fecerunt primum columnae crassitudinem altitudinis octava parte, ut haberent speciem excelsiorem. Basi spiram supposuerunt pro calceo, capitulo volutas, ut capillamento concrispatos cincinnos, praependentes dextra ac sinistra collocaverunt et cymatiis et encarpis pro crine dispositis frontes

---

[1] Vide n. 390 et 212.

ornaverunt, truncoque toto strias, uti stolarum rugas, matronali more demiserunt. Posteri gracilioribus modulis delectati septem crassitudinis diametros in altitudinem columnae Doricae constituerunt, Jonicae octosemis. Id autem genus, quod Jones fecerunt primo, Jonicum est nominatum.

1366. Tertium vero, quod Corinthium dicitur, virginalis habet gracilitatis imitationem; quod virgines, propter aetatis teneritatem, gracilioribus membris figuratae effectus recipiunt in ornatu venustiores. Ejus autem capituli prima inventio sic memoratur esse facta[1]: Virgo, civis Corinthia, jam matura nuptiis, implicita morbo decessit. Post sepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur[2], nutrix collecta in calatho pertulit ad monumentum et in summo collocavit; et uti ea permanerent diutius sub divo, tegula texit: calathus autem supra acanthi radicem fortuito collocatus fuerat.

1367. Interim pondere pressa radix acanthi media folia et cauliculos circa vernum tempus profudit; et cauliculi secundum calathi latera crescentes tegulaeque pondere ab angulis expressi, flexuras in extremas partes volutarum facere sunt coacti. Tum Callimachus, qui propter subtilitatem et elegantiam artis marmoreae ab Atheniensibus Catatechnos est appellatus, praeteriens hoc monumentum animadvertit eum calathum et circa foliorum nascentem teneritatem, delectatusque genere et formae novitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit symmetriasque constituit, ex eoque in operum perfectionibus Corinthii generis distribuit rationes. (VITR.)

Curatio phthisis.

1368. Diutius saepe et periculosius tabes eos male habet, quos invasit. Atque hujus variae species sunt: una est, qua corpus non aliter eoque summa tenuatur macie et, nisi occurritur, hominem consumit. Ἀτροφίαν hanc Graeci vocant. Ea duabus fere de causis contrahitur: vel quod minus cibi

---

[1] Vide n. 315 et 316. [2] Vide n. 302.

sumitur, quam convenit, vel quod plus: ita vel quod deest, corpus infirmat; vel quod superat, corrumpit. Altera species est, quam Graeci *καχεξίαν* appellant; ubi malus corporis habitus est, eoque alimenta corrumpuntur. Quod fere fit, quum longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt; aut quum malis medicamentis corpus affectum est; aut quum diu necessaria defuerunt.

1369. Tertia est longeque[1] periculosissima species, quam Graeci *φθίσιν* nominarunt. Oritur fere a capite atque in pulmonem destillat; huic exulceratio accedit; inde febricula levis, quae etiam, quum quievit, tamen repetit; frequens tussis est; et pus exscreatur, interdum cruentum.

1370. Quum haec genera tabis sint, animadvertere oportet, quid sit, quo laboretur; deinde, si tantum non ali corpus appareat, causam ejus attendere; ac si cibi quis[2] minus, quam debet, assumpsit, adjiciat, sed paulatim, ne, si stomachum insuetum oneraverit, concoctionem impediat. Si vero plus justo quis assumere solitus est, abstineat uno die; deinde ab exiguo cibo incipiat quotidieque adjiciat, donec ad justum perveniat. Praeter haec convenit ambulare locis quam minime frigidis, sole vitato; per manus quoque exerceri; at si infirmior est, gestari, ungi, perfricari saepius eodem die et ante cibum et post eum; atque interdum oleo, quo ungitur, quaedam adjicere calefacientia, donec insudet. Cibi vero esse debent ex iis, qui facile concoquuntur maximeque alunt.

1371. Quodsi vera phthisis est, inter initia protinus occurrere oportet; neque enim facile is morbus, quum inveteraverit, evincitur. Opus est, si vires patiantur, longa navigatione, coeli mutatione, adeo ut densius, quam id est, ex quo discedit aeger, petatur: ideoque aptissime Alexandriam[3] ex Italia itur. Fereque id potest inter principia corpus pati, quum hic morbus aetate firmissima maxime oriatur, id est ab anno duodevicesimo ad quintum et tricesimum. Si id imbecillitas

---

[1] Vide n. 61. [2] Vide n. 209, c. [3] Vide n. 278, b.

non sinit, nave tamen non longe vehi commodissimum est; vel lectica vel alio modo gestari.

1372. Tum a negotiis abstinendum ceterisque rebus, quae sollicitare animum possunt; somno indulgendum, vitanda cruditas, simulque et sol et frigus; os obtegendum, fauces velandae. Et quamdiu quidem febricula incursat, ei interdum abstinentia, interdum etiam tempestivis cibis medendum. Quodsi febris aut nondum incursat aut jam remisit, decurrendum est ad modicas exercitationes, maximeque ambulationes, item lenes frictiones. Cibus esse debet primo acer, ut allium, porrum idque ipsum ex aceto [1], vel ex eodem intubus, ocimum, lactuca. Deinde lenis, ut sorbitio ex ptisana vel ex alica vel ex amylo, lacte adjecto. Farina etiam cum sevo ovillo caprinove mista, deinde incocta pro medicamento est.

1373. Si vehementior est noxa, ac neque febricula neque tussis quiescit, tenuarique corpus apparet, validioribus auxiliis est opus. Exulcerandum est ferro candenti, uno loco sub mento, altero in gutture, duobus ad mammam utramque, item sub imis ossibus scapularum, quas *ὠμοπλάτας* Graeci vocant; sic, ne [2] sanescere ulcera sinamus, nisi tussi finita. (CELS.)

---

[1] Vide n. 172, d. [2] Vide n. 389, a.

A. M. D. G.

Date Due

BOSTON COLLEGE
3 9031 01400447 7

129651

129651

Laplana, Mario
Author
Summa Syntaxica cum
Title
Thematis Ad Exercendum
Pars Prima
Herder 1894
PA2285 L2

Laplana

BOSTON COLLEGE LIBRARY
UNIVERSITY HEIGHTS
CHESTNUT HILL, MASS.

Books may be kept for two weeks and may be renewed for the same period, unless reserved.

Two cents a day is charged for each book kept overtime.

If you cannot find what you want, ask the Librarian who will be glad to help you.

The borrower is responsible for books drawn on his card and for all fines accruing on the same.